

The Project Gutenberg eBook of Dissertatiunculae Quaedam Critico-Theologicae, by John Henry Newman

This ebook is for the use of anyone anywhere in the United States and most other parts of the world at no cost and with almost no restrictions whatsoever. You may copy it, give it away or re-use it under the terms of the Project Gutenberg License included with this ebook or online at www.gutenberg.org. If you are not located in the United States, you'll have to check the laws of the country where you are located before using this eBook.

Title: Dissertatiunculae Quaedam Critico-Theologicae

Author: John Henry Newman

Release Date: October 15, 2010 [EBook #34078]

Language: Latin

Credits: Produced by Steven Giacomelli, Keith Edkins and the Online Distributed Proofreading Team at <https://www.pgdp.net> (This file was produced from images generously made available by The Internet Archive/Canadian Libraries)

*** START OF THE PROJECT GUTENBERG EBOOK DISSERTATIUNCULAE QUAEDAM CRITICO-THEOLOGICAE ***

Transcriber's note: A few typographical errors have been corrected. They appear in the text like [this](#), and the explanation will appear when the mouse pointer is moved over the marked passage.

DISSERTATIUNCULAE QUAEDAM CRITICO-THEOLOGICAE

AUCTORE

JOANNE H. NEWMAN

ANGLO



ROMAE

TYPIS S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCXLVII.

REVERENDO PATRI
ANTONIO BRESCIANI
E SOCIETATE IESV

COLLEGII VRBANI RECTORI
VIRO LECTISSIMO
NOBIS HOSPITIBVS SVIS ET LINGVA PAENE BARBARIS
ACCEPTISSIMO
HOC SERENISSIMORVM DIERVVM
SVB EIVS TVTELA ACTORVM
QVALECVNQVE MONVMENTVM
COMMENDATVM DICATVMQUE
VELIMVS

MONITUM

Opuscula haec qualiacunque, ex nupera Oxoniensi Bibliotheca Patrum maxima ex parte desumpta, Latine autem liberius reddita, criticis prudentioribus commendo; id aegre ferens, quod, notulis quibusdam meis domi relictis, minus prodeunt accurata, quam pro ratione studiorum meorum a benevolis sperari potuisset.

In Fest. S. Anselm.
1847.

DISSERT. 1. De quarta Oratione S. Athanasii contra Arianos	pag. 1
2. De Ecthesi Ephesina contra Paulum Samosatenum	24
3. De vocibus πριν γεννηθῆναι οὐκ ἦν Anathematismi Nicaeni	41
4. De vocibus ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας Anathematismi Nicaeni	58

{1}



DISSERTATIO I.

DE QUARTA ORATIONE S. ATHANASII CONTRA ARIANOS.



Quatuor illas, quas vulgo vocant, Athanasii Orationes contra Arianos partes esse unius operis, recentioribus criticis persuasissimum est; post ipsum, ut videtur, Photium, qui codice CXL ad πεντάβιβλον Athanasii provocat. Profecto Montefalconius, ut in re minime dubia, omni probatione praeter ipsam librorum structuram supersedendum iudicat. «Nihil opus est longiore disputatione, cum clarum sit ex hisce ipsis quatuor Orationibus, nihil eas commune cum ullo alio opere habere; sed ita inter se cohaerere, ut unum ipsae opus simul conficiant, quarum prima sit principium, quarta autem omnium sit finis, quam sane ob causam sola haec ultima solita terminatur conclusione.» Athan. *Opp.* t. I. pp. 403, 4. Haec ille; qui tamen paullo submissius loquitur, cum in *Praefat.* sua p. xxxv, et in *Vit. Athan.* p. lxxii, concedit eas non esse exaratas certo aliquo consilio prius inito, sed, decursu controversiae, alteram ex altera, quo res majorem haberet lucem, fuisse productas; id quod praecipue cernitur in secunda et tertia incipientibus, ubi sanctus Doctor, more suo, disputationem jam forte longiorem, propter haereticorum tamen pervicaciam, continuandam iudicat.

Nec minus liquida res est Tillemontio, scribenti: «Les quatre oraisons sont toutes liées ensemble, et en un même corps, comme il paraît principalement, parce-qu'il n'y a que la dernière qui finisse par la glorification ordinaire.» *Mem. Eccl.* t. 8. p. 701. Et alibi: «Il est certain que ces quatre discours ... semblent ... ne faire qu'une seule pièce, qu'on aura partagée tantôt en quatre, tantôt

{2}

Tillemontii vestigia sequitur, tanquam pedisequus, Ceillerius, *Aut. Eccl.* t. 5. pp. 217, 218. qui cum Montefalconio consentit posteriores libros, vice quemque sua, anteriorum partes suscipere.

Jam prius Petavio, Incarnationem V. D. tractanti, idem excidit iudicium; eo gravius, quod obiter doctissimo theologo elapsus est. Dum enim Epistolam Athanasii *ad Ep. Aeg. et Lib.* contendit non esse revera partem Orationum contra Arianos, (ut tum temporis ab Athanasii Editoribus habebatur,) quia scilicet illa Epistola non spectat, nisi in parte quadam, ad doctrinam Arianorum, haec monet: «Non est ejusdem cum sequentibus argumenti, nam *in istis* adversus *Arianam* haeresim disputat etc. ... prima autem, (i. e. *Epist. ad Ep. Aeg. et Lib.*) nihil horum facit.» *de Incarn.* v. 15. §. 9.

Auctoribus tamen tam gravibus atque inter se consentientibus hic contra eundem est; cum plane comprobari possit, ut puto, et sine magno conatu, quartam illam contra Arianos Orationem non esse contra istos haereticos ab Athanasio scriptam, neque prorsus esse orationem, ne disputationem quidem continuam, sed esse conglutinationem quandam fragmentorum theologicorum, vel annotationum seriem, variae et longitudinis et materiae, praecipue de haeresi Marcelli et Photini, aliqua ex parte de Sabellianismo et Samosatensismo, vix aut ne vix quidem contra Arianos. Quam sententiam his argumentis fultam velim.

§. I. DE STRUCTURA LIBRI.

1. Jam hoc praemittendum est;—nusquam, ut credo, ab antiquis ad Orationem hanc quartam provocari, tanquam ad partem operis Athanasii «*contra Arianos*,» vel «*de Trinitate*,» cum secunda contra et tertia laudantur a Theodoreto, Justiniano, Cyrillo Alexandrino, Facundo, Concilio Lateranensi sub Martino I. habito, Agathone Pontifice, et aliis, idque illo ipso numerandi ordine qui etiamnum servatur in editione Maurina.^[1] Quamvis autem Photii, de toto opere ut quinquepartito loquentis, interpretes esse quodammodo videantur, et Concilium Oecumenicum Septimum, et Epistola Agathonis in Sexto, cum tertiam Maurinam pro quarta habent, inde tamen non concludi potest quartam Maurinam, de qua hic quaestio est, comprehensam fuisse ut quintam partem πενταβίβλου Photii. Quoniam enim in uno codice haec Maurinorum quarta vocatur sexta Oratio, alia quaedam ibi reperienda est quinta; quae quidem, Montefalconio iudice, est opusculum illud quod vulgo appellatur «*de Incarnatione contra Arianos*,» quod re ipsa in aliquibus codd. quintae nomen gerit. Sunt porro codices qui Epistolam *ad Ep. Aeg. et Lib.* quae in codd. solebat esse prima, quartam nominant; alius autem est Montefalconii, ex quo quarta illa Maurinorum plane excidit. Accedit quod in codice quodam Bodleiano (Roe 29. an. 1410.) opusculum *de Incarnatione contra Arianos* tres priores subsequitur orationes, quartae vice. Alii autem codd. quarta Maurinorum quinta est; alii Epistola *ad Ep. Aeg. et Lib.* est «*tertia contra Arianos*,» Epistola *de Sent. Dion.* in duas partes divisa, pro prima et secunda, ut videtur, habita. Quare, cum adeo varietur in codicibus, nulla praescriptio est ex usu editionum, cur quarta haec oratio adsciscatur in numerum earum, quae cum Arianis bellum gerunt.

{3}

2. Deinde notandum est, librum hunc ipsa fronte sua prodere se non esse orationem similem illarum quae ei praeierunt. Nam, cum secunda illa et tertia prooemium utraque suum habeat, in quo mentio fit gravissimi illius argumenti, quod ab illis est continuandum, nihil contra aut scopo definitum aut ratione ordinatum in quarta incipiente reperitur. In argumentum suum, quicquid sit illud, nullum enim profitetur, praeceptum ingreditur, propositionem prae se ferens categoricam quandam ex Evangelista desumptam, «*Ex Deo Deus est Verbum, nam Deus erat Verbum*,» plane omisso verborum illo apparatu et verecunda dicendi pompa, qua in limatioribus suis operibus, res divinas tractaturus, utitur sanctissimus Praesul.

{4}

Nec aequabilius aut liquidius fluit postea orationis cursus, sed turbatus semper, incertus, mutabilis. Nam saepius materies subito profertur nova, ut in sectionibus 6, 9, et 25 editionis Maurinae; id quod amanuensibus tam plane constitit, ut in quinque codd. interpolatum testentur inter sectiones 12 et 13 opusculum *de Sabbatis et Circumcisione*, Athanasio dubie a Maurinis (t. II. p. 54.) inscriptum. Plane diversum est ab hoc genere disserendi aequabile illud et bene continuatum sancti oratoris eloquium, qui tam soleat priorem materiem suam producere et tanquam abdere in proxime sequentem, et rem cum re tam callida junctura colligare, ut editori difficillimum sit disputationis cursum ad certa quaedam capita revocare.

Accedit quod tres illae quae praecedunt Orationes commercium inter se ultro citroque habent, et ad se mutuo respiciunt, et complent definita quaedam docendi vestigia, quae terminantur prope exeunte tertia. Integra quaedam disputatio, in Scripturis contra Arianos explicandis tota, continuatur a §. 37. primae ad §. 59. tertiae; ante tertiam in locis Prophetis et Apostolicis, per tertiam in Evangelicis versata. Incipit autem, procedit, et terminatur scopo ecclesiastico, seu canone fidei, proponendo, ut divinorum oraculorum justo interprete^[2]. At in hac accurata rerum dispositione nullam plane sedem sibi potest vindicare quartus ille liber seu Oratio Maurinorum.

Quid quod in verborum quoque usu sui similis est quartus liber, aut saltem dissimilis trium Orationum. Nam in illo, coeteris licet brevior, vocula celeberrima ὁμοούσιον ter reperitur, vid. §§. 10, 12. at eandem in tribus illis omnino non occurrere dicendum est, cum solitarius iste locus, *Orat.* I. 9. qui eam continet, symboli quandam fert speciem, ut ex ipso loco intelligitur, neque in propriam Athanasii disputationem cadit. Contra, verbum illud omittitur aliquando in Orationibus tribus, ubi jure posset quaeri^[3]. Deinde in *Orat.* II, 78, 79, 80. ut in *Gent.* 40 et 46. *Incarn.* V. D. 20. *ad Serap.* IV, 20. verbum αὐτοσοφία reperitur; at in quarta reprobatum idem, Petavio iudice, (*de Trin.* VI, 11.) ut Sabellianum. Tum hoc quoque e minutioribus rebus ad rem nostram facit,

{5}

quod tres illae, in Sanctissima Trinitate praedicanda, illustratione uti solent ex luce et ejus irradiatione desumpta; quarta vero, modo ignem non lucem, modo ignem et lucem inducit. Depravato denique textu haec graviter laborat; illae non laborant.

3. Profecto, ut antea dictum est, etiam hoc in quaestionem venit, an forte portiones saltem aliquae hujus libri fragmenta sint tantummodo cujusdam operis, vel plurium operum; vel notulae rudiores subita manu scriptis mandatae, prout menti occurrerent; vel capita controversiarum; quae casus rerum temere in unum cumulum congesserit. Peregrinum omnino opusculum, forte non Athanasii, illud *de Sabb. et Circumc.* nonnunquam in medium hunc librum intrusum jam diximus; praeterea, (quod praecipue ad rem nostram facit) idem opusculum re ipsa consociatur cum fragmento quodam Epistolae *de Decr.* et Tractatu *In illud omnia*, quasi totum quid, quamquam nihil cum illis habet commune, in codd. omnibus, excepto uno, quos memorant Maurini. Alterum exemplum cernitur in Sermone Majore *de Fide*, qui in Montefalconii *Nova Collectione* editus est, qui autem vix aliud est quam series quaedam portiuncularum ex variis Athanasii operibus in unum comparatarum. Praeterea, quod attinet ad librum nostrum, in codd. quibusdam singulis partibus singuli praeponuntur tituli; ut τὸς σαβελλίζοντας, κ. τ. λ. in sect. 9; in sect. autem 11, πρὸς τοὺς λέγοντας ὅτι, κ. τ. λ. Porro «illi» et «ille» stant aliquando, nullo antecedente. Sed et infractum illud et inordinatum in orationis filo, indicium aliud est multiplicis et disparis materiae. Quid quod §. 25. in duas partes temere secat quod alioqui continuum haberet cursum a 15 ad 36; §. 11. autem mentionem ultro objicit alicujus rei quam in praecedentibus frustra quaesiveris. Tum §§. 6 et 7, quae solae pertinent ad Arianos, jacent inter argumentorum locos Arianis plane alienos, stylum autem sapiunt dilucidum illum et liberum Orationum trium; qui quidem stylus aliqua ex parte in §§. 14, 17, 27, 28, et 34. reperitur.

{6}

Notatu etiam dignum est, a Montefalconio in Monito suo Epistolae Encyclicae praefixo esse observatum, phrasim illam οἱ περὶ Εὐσέβιον non adhibitam esse ab Athanasio post Eusebii mortem; «Neque enim sequaces Eusebii jam defuncti usquam apud Athanasium οἱ περὶ Εὐσέβιον vocantur, sed κοινωνοὶ τῶν περὶ Εὐσέβιον vel κληρόνομοι τῆς ἀσεβείας τοῦ Εὐσεβίου.» t. I, p. 110. Jam hanc ipsam phrasin legimus in sectione 8. hujus Orationis quartae; unde sequitur, cum Eusebius discesserit e vivis an. 341, Oratio autem prima scripta fuerit circ. an. 358, quartam hanc, qua Orationum seriem concludi creditur, scriptam esse ante primam, qua series orditur; sin minus, saltem portionem eam quartae, quae phrasin οἱ περὶ Εὐσέβιον continet, primae esse priorem, vel (quod idem valet) quartam ex pluribus disputationibus esse conflata.

Plura adhuc sunt quae in hac re possint offerri; nam sectiones 1-5, 9, 10, versantur in argumento plane suo, quod in reliquo libro nusquam attingitur. De μοναρχία tractant; verbo autem ἀρχὴ utuntur pro *origine*, ut in prioribus Orationibus moris est; cum idem usurpetur pro *initio*, sectionibus hujus libri 8, 25, 26, 27. Porro in disputatione §§. 30-36 singularis usus est epitheti θεῖος ad Christum adhibiti; vox quoque νοεῖν ejusdem loci propria est.

{7}

Quod porro singulare est in hoc libro, ut stylo signum imprimat, argumentum autem idem non leve quod de serie quadam annotationum polemicarum nunc agimus, non de justo et simplici opere, frequentia illa est vocabulorum hujusmodi, πειστέον 2, e. ἐρωτητέον 3, f. 4, a. λεκτέον 4, init. 6, d. 10, a. ἐλεγκτέον 3, a. 4, e. ἔρεσθαι δίκαιον, καλόν etc. 11, d. 14, a. 23. b. Cujus generis sunt illa quoque, ἀκολουθήσει τὰ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν ἄτοπα εἰρημένα, e. g. 2, e. 4, e. 4 fin. 15 init. 26, b. 26 init. quibuscum conferamus elegantiore periodici cursum, *Orat.* II, 24, b. καλόν αὐτοῦς ἔρεσθαι καὶ τοῦτο, ἵν' ἔτι μᾶλλον ὁ ἔλεγχος, κ. τ. λ. ejusmodi sunt etiam τὸ δ' αὐτὸ δὲ καὶ περὶ δυνάμειος, §. 3; quae omnia Aristotelem sapiunt, non Athanasium. Videsis etiam locos Scripturae sacrae subito propositos ut materiem disputandi, ut in §§. 1, 5, 9, et 31.

Aristotelem etiam agit in hoc libro sanctissimus Doctor in effatis suis theologicis proferendis; e. g. εἰ ἄγονος καὶ ἀνεργητος ὁ Θεός, 4 fin. τὸ ἕκ τινὸς ὑπάρχον υἱὸς ἐστὶν ἐκείνου, 15, c. οὐδὲν ἔν πρὸς τὸν πατέρα, εἰ μὴ τὸ ἐξ αὐτοῦ. 17, d. ὦν οὐκ ἐστὶν εἰς τὰς καρδίας ὁ υἱὸς, τούτων οὐδὲ πατὴρ ὁ Θεός, 22, b. εἰ μὴ υἱὸς, οὐδὲ λόγος· εἰ μὴ λόγος, οὐδὲ υἱός. 24 fin.

4. Ulterius nunc progrediendum est; liquet enim Athanasium hoc in libro non raro innuere se non doctrinam solum haeticorum percellere, sed haeticos ipsos; tamen de nominibus tacet; quod contra fit in Ariana sua controversia, ubi liberrime loquitur de Ario, de Eusebio, de Asterio, et aliis ejusdem sectae. Hic contra, licet occurrant certe οἱ ἀπὸ τοῦ Σαμοσάτειος, et κατὰ Σαβέλλιον, adversarii plerumque anonymi, unus aut plures, in campum descendunt, vel potius illabuntur; ut colligi potest ex φατὲ 9 init. πίπτουσι 11 init. ὑπέλαβε 13 init. αὐτὸν τοιαῦτα λέγοντα 14, a. οἱ τοῦτο λέγοντες 15 init. κατ' αὐτοῦς 21 init. κατ' ἐκείνου 22, c. Vid. etiam 8, c. 13, c. 20 init. 23, c. 24, a. 25, b. 28 init. Jam si acer ille accusatorius stylus huic libro abest, in hac re saltem, si non in alia, a praecedentibus tribus differt, in quibus illa oratoris vis et fervor animi praecipue cernitur; at audacius quiddam nunc dicendum est, scilicet necessitudinem fortasse aliquam fuisse Athanasio cum quibusdam istarum factionum hominibus, quibus sagax et benevolus praesul, licet congregiendum, tamen aliquatenus parcendum duxerit.

{8}

Deinde observandum est haeresim, de qua per totum paene librum agitur, licet Sabellianae proximam, non fuisse Sabellianam; nam comparatur cum ea, e.g. Σαβελλίου τὸ ἐπιτήδευμα, 9, et ὅσα ἄλλα ἐπὶ Σαβελλίου ἄτοπα ἀπαντᾷ, 25. Quinimo, cum haeresis haeresi opponitur in fine §. 3. de Arianis aperta mentio est, ut mos est Athanasii, de Sabellianis autem non est mentio, sed de iis qui «Sabellizant,» quibuscum scilicet res erat sancto Doctori. Praeterea haeresim, quae agebatur, esse temporis illius, non praeteritorum saeculorum, certum est tum ex loquendi modo, quo utitur Athanasius, tum quia caeterae, quibuscum dimicat in scriptis suis, sunt sui aequales. Namque etiam, cum Pauli Samosatani haeresim aggreditur, non priscam istam saeculi anterioris in arenam immittit, sed immutatam et novam, qualem ipse eam conspexerat in populo christiano.

Neque hoc sane facile fidem facit, in medio illo tot tantorumque errorum certamine, quod Athanasio contigit, prudentissimum virum ad obsoleta quaedam, ut γραϊκὸν καὶ σχολαστικὸν, confugisse^[4].

Quae omnia suspicionem movent, haeresim, quae materies est hujus libri, illam esse Marcelli Ancyрани, qui cum Athanasio commilitaverat contra Arianos, et sectatorum ejus; cum omnibus notum sit, simillimo illo Apollinaris exemplo, Athanasium id ipsum facere in disputationibus suis, haeresiarchae parcere nomini, haeresim severissime impetere. Quid quod similiter a nominibus abstinet Eusebius in Arianis suis reprobandis (*Eccles. Theol.* I, 9, 10.) silet porro Vincentius Lirinensis, si revera in Commonitorio suo Augustinum petit. Idem quoque in Platone fecit Aristoteles; sed in hac re testes supervacanei sunt. {9}

Quod nobis rem perstringentibus nunc commendatum est, mox, collatis inter se dogmatibus, hic Marcellinorum seu Photinianorum, illic eorum quibuscum in hoc libro agitur, plenissimam habebit confirmationem;—eo scilicet modo, quo Orationes tres haeresim tractant Arianam, disputationem hanc quartam, divulsam licet et incompositam, in Marcelli vel Photini, necnon Sabellii et Samosatani erroribus refutandis versari. Quod cum dicimus, prudentes praeterimus sectiones 6 et 7, ad Arianismum procul dubio spectantes, sed in summa operis importunas.

His nostris jam in formam redactis, perjudicanda fuit nobis fortuita lectio libelli, inscripti, «In Eusebii contra Marcellum libros Selectae Observationes, auctore R. S. C. Lipsiae 1787.» Laudato Athanasii «quinto libro,» ut illum vocat, «contra Arianos,» perguit auctor anonymus dicere, «ibi, ut in libro *de Aet. subst. Fil. et Sp. S.* sententiam Marcelli, suppresso tamen nomine, refellit. Quod an aliis sit observatum, ignoro.» p. 28.

§. II. DE MATERIE LIBRI.

Quo melius huic rei satisfiat, triplex hic sumendum est argumentum: primum enim necessitudo illa inter Athanasium et Marcellum in historia istorum temporum, quae et qualis fuerit, definienda est; deinde enucleanda doctrina Marcelli, Photini, et istiusmodi haereticorum; tum illa Photiniana haeresis conferenda est cum ea quae in hoc libro ab Athanasio oppugnatur.

1. Cum Athanasius adhuc junior esset in Episcopatu suo, Marcellus Ancyrae in Galatia Episcopus responsum illud edidit Ariano sophistae Asterio, ex quo et originem suam et subjectam materiem coeperunt Eusebii *contra Marcellum, et de Ecclesiastica Theologia* libri, nobis hodie principales testes opinionum Marcelli. Neque Eusebius solum, sed aliquot Concilia Arianorum condemnarunt hominem, qui, Romam petens, ibi Athanasio occurrit circa an. 341; cum uterque praesul a Pontifice Concilio habito de Arianorum criminationibus purgatus est. {10}

Purgatus est iterum uterque Concilio Sardicensi an. 347; ab eo tamen ipso tempore, nisi, ut Montefalconio videtur, ab an. 336-8 (*Nov. Coll.* p. LII) postulationes eae, quae hactenus ab Arianorum factione urgebantur in Marcellum, inter catholicos etiam circumferuntur. Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesibus suis an. 347. mentionem facit haereseos nuperae Galatarum, quae Christi sempiternum regnum negaret; ubi Marcellum indicari a sancto oratore, et regio et dogma quae nominantur, liquido demonstrant. Cyrillum excipit Paulinus in Concilio Arelatensi; Paulinus Hilarius; sed Athanasius, cautus homo et clemens, siquis alius, Marcello patrocinatur usque ad circ. an. 360. Idem tamen, confessus tandem Marcellum non longe abesse ab haeresi, a communione, ut traditum est ab Hilario et Sulpicio, hominem suspendit. Narrat insuper Hilarius (*Fragm.* II, 21) inductum esse Athanasium ut hoc faceret, non propter opus Marcelli contra Asterium, sed ob ejus scripta quaedam posteriora Concilio Sardicensi. Id autem fecit Athanasius, cum Photinus, Episcopus Sirmiensis, qui haeresim fere illam Marcelli, magistri sui, ante an. 345 ediderat, jam aliquot annos, Catholicis et Arianis consentientibus, a sede sua depositus esset. Marcellus, per totum decennium a sanctissimo praesule repudiatus, quocum tot tantaque ab Arianis pertulisset, tandem ab eodem, morti jam proximo (an. 371.) leniore iudicio excipitur, ob rem hujusmodi: Basilio Caesariensi cum Athanasio agenti, ut ne Galatis benignius usus, rei Catholicae noxam inferret, occurrunt Galatae, missis ad Alexandriam, qui orarent causam suam, quid autem revera senserint de Christo, sine ambagibus expedirent. Eugenius, Diaconus Ecclesiae Ancyrae, confessionem catholicam in suorum nomine ibi subscripsit, quam confirmavit manu sua clerus Alexandrinus, necnon, ut videtur, Athanasius ipse, quamquam inter nomina subscripta ille non apparet hodie. Confessio haec, cui Montefalconius lucem dedit, scripta est in nomine «clericorum et caeterorum qui Ancyrae in Galatia sunt, una cum patre nostro Marcello, congregati.» {11}

Quo negotio ad finem perducto, et Ancyranus hic, et Alexandrinus ille praesul morti protinus succubuerunt, bellatores ambo in summo Ecclesiae discrimine, diversa fortuna; plusquam septuagenarius Athanasius, Marcellus autem nonaginta saltem annorum cumulo oppressus,—feliciter grandaevus, si reservabatur in hoc, ut errores suos illo extremo halitu vere efflaret. Nihilominus, qui in re historica, non biographia versantur, his, ut mos est in Ecclesia, Marcellus apparet, non ut privatus quispiam, in sua ipsius persona et poenitentia sua, sed in secta quam genuit et in maturitate postrema earum opinionum, quae in ipso semina tantummodo fuerant et elementa pravitatis.

Caeterum, utrum in hominem ipsum an tantummodo in sectatores ejus Athanasius in quarta sua, quam vocant, Oratione invehatur, concludi non potest in alterutram partem, ex illa, seriore utique, confessione ab Eugenio subscripta. Neque Hilarius, Athanasium testatus Marcelli operi contra Asterium pepercisse, nos moveat, ne illo opere utamur in Marcelli placitis eruendis; nam

neque in aliis rebus tam fidus in narrando reperitur sanctissimus Praesul, (ut cum de Liberio loquitur,) ut ex iis quae plane haeresim sapiunt, ipsius causa pios sensus extorqueamus. Ea autem sunt hujusmodi.

2. Eusebio teste, placuit Marcello, (1) unam tantummodo in Deitate esse personam; a Sabellio tamen in hoc dissentienti, quod teneret (2) non Patrem continuo esse Filium, Filium Patrem, (id quod υιοπατορίαν vocant) sed (3) Patrem et Filium esse nomina mera et nudos titulos; (4) neque exprimere relationes aliquas essentielles in natura divina, sed ex eo originem caepisse (5) quod Verbum Dei sempiternum, seu λόγος ἐνδιάθετος, quod Divina quaedam est Ratio, sese manifestaverit in carne, in hypostasi scilicet Jesu Christi, Filii Mariae, (6) hunc itaque unum Deum, seu μονάδα, quodammodo se aperire solere vel dilatare (πλατύνεσθαι) ut nos salvos faciat; (7 et 8) quam dilatationem esse actionem quandam, seu ἐνέργειαν, Verbi, qua fit λόγος προφορικὸς, seu Vox Dei, cum alioqui sit Ratio interior; (9) harum autem dilatationum singulare esse specimen Incarnationem Verbi, scilicet dilatationem in carne hominis Jesu, (10) quam susceperit ineunte dispensatione Evangelica, quam exeunte relicturum sit (11). Sequi inde, Verbum non esse Filium, (12) nec Dei Imaginem, Christum, Primogenitum, Regem, sed Jesum esse haec omnia: quod si ea praedicantur de Verbo in Scripturis V. T. propheticum illud est propter futuram suam in carne manifestationem, (13) neque dispensatione absoluta tribui poterunt eadem Verbo, carnem tunc relicturo, regno se abdicaturo, ad Deum redituro, Verbo mero ut antea futuro.

Haec ille: neque est cur fidem denegemus Eusebio, Ariano homini, vel Arianorum certe fautori, qui, tum contrariarum partium studio tum propter contrariam suam perfidiam, iniquius laturus esset iudicium de opinionibus Marcelli. Nam ipsissima verba Marcelli citat scriptor ille; ab aliorum autem testimonio confirmatur. Praeterea si Athanasius in libro hoc quarto haeresim quandam describit simillimam illius quae Marcello ab Eusebio tribuitur, duplex hoc testimonium Eusebium corroborat, Athanasium interpretatur. Photiniana porro doctrina, a Marcelli auditorio profecta, in iis autem placitis sita quae ante illam ortam Eusebius assignavit Marcello, argumentum est validum, eruditissimum hunc, licet lubricum, theologum Marcelli animum et consilium recte divisasse.

Nunc singula haereseos capita, quae supra percurrimus, testimoniis allatis illustremus.

(1) Unam tantummodo in Deitate esse personam: Scripturae adductis verbis κύριος ὁ Θεὸς in Exod. III, 5. quo Apostoli εἷς κύριος, εἷς Θεὸς in Ephes. IV, 5, 6. expediat, prosequitur Marcellus: ὁρᾷς ὅπως ἐν ἐπιδεικνύς ἡμῖν ἐντευθα πρόσωπον, τὸ αὐτὸ κύριον καὶ Θεὸν προσαγορεύει; Euseb. p. 132. a. Iterum: τὸ γὰρ ἐγὼ, ἐνὸς πρόσωπου δεικτικὸν ἐστίν; p. 133. a. Tum pergunt definire πρόσωπον quasi sit idem atque ἡ τῆς θεότητος μονάς. Vid. iterum ἕνος πρόσωπου, ibid. b. Atque iterum: ἀνάγκη γὰρ εἶ δύο διαιρούμενα, ὡς Ἀστέριος ἔφη, πρόσωπα εἶη, ἢ τὸ πνεῦμα, κ. τ. λ. p. 168. c.

(2) Id proprium esse Sabellio, non Marcello, quod υιοπατόρα doceret; Patrem scilicet esse Filium, Filium autem Patrem. Σαβέλλιος, εἰς αὐτὸν πλημμελῶν τὸν πατέρα, ὃν υἱὸν λέγειν ἐτόλμα, Euseb. p. 76. a. Et Eugenius quoque, in Apologia sua apud Athanasium, anathematizat Sabellium et eos qui cum eo dicerent αὐτὸν τὸν πατέρα εἶναι υἱὸν, καὶ ὅτε μὲν γίνεται υἱὸς, μὴ εἶναι τότε αὐτὸν πατέρα, ὅτε δὲ γίνεται πατήρ, μὴ εἶναι τότε υἱὸν. Nov. Coll. t. 2. p. 2. Et Basilius: ὁ Σαβέλλιος εἰπὼν, τὸν αὐτὸν Θεὸν, ἕνα τῷ ὑποκειμένῳ ὄντα, πρὸς τὰς ἐκάστοτε παραπίπτουσας χρείας μεταμορφούμενον, νῦν μὲν ὡς πατέρα, νῦν δὲ ὡς υἱὸν, νῦν δὲ ὡς πνεῦμα ἅγιον διαλέγεσθαι. Ep. 210, 5 fin.

(3) Patrem et Filium Marcello videri titulos quosdam, in tempore adhibitos sempiterno Deo et Verbo ejus, tunc scilicet, cum ἐνδιάθετος ille λόγος, in Deo inhaerens, fieret προφορικὸς in hypostasi Jesu Christi.

Μάρκελλος καινωτέραν ἐξεῦρε τῆ πλάνῃ μηχανῆν, Θεὸν καὶ τὸν ἐν αὐτῷ λόγον ἕνα μὲν εἶναι ὀριζόμενος, δύο δ' αὐτῷ πατρὸς καὶ υἱοῦ χαριζόμενος ἐπηγόρας. Euseb. p. 76, a. vid. etiam p. 63, c. Itaque, quo melius exprimeret figurata solum locutione Patrem esse Deum, illum appellavit «Patrem Verbi,» ἐν τῷ [τὸν Χριστὸν] φάσκειν [τὸν Θεὸν], μηδὲ τοῦ ἑαυτοῦ λόγου κύριον εἶναι, ἀλλὰ καὶ τούτου τὸν πατέρα, ἀφαιρεῖσθαι τὸν πατέρα τὰ ἴδια τοῦ παιδὸς δείκνυσιν. ibid. p. 38.

Cui suffragatur haereticus ille qui reperitur in *contr. Sabell. Gregal.* §. 5. quem R. S. C. p. 28. putat esse Marcellum. Καγὼ, φησὶν, ὁμολογῶ γέννησιν. γεννᾶται γὰρ ὁ λόγος, ὅτε καὶ λαλεῖται καὶ γινώσκειται.

Alibi testatur Eusebius a Marcello proponi αὐτὸν [Θεὸν] εἶναι τοῦ ἐν αὐτῷ λόγου πατέρα, ibid. p. 167. c. Quod quidem, licet vel purum catholicismum sapit, Eusebii ipsius saepius fortiter arianizantis doctrinae comparatum, tamen eo nomine in observationem venit, quod Nestorius apud Mercatorem sic distinguit a Sabello Photinum, «Sabellius υιοπάτορα dicit ipsum Filium, quem Patrem, et ipsum Patrem quem Filium, Photinus vero λογοπάτορα [Verbum-patrem]» Mercat. t. 2. p. 87.

(4) Verbum esse revera Verbum, ἀληθῶς λόγος, neque nisi improprie Filius: λόγον γὰρ εἶναι δους τὸν ἐν τῷ Θεῷ, ἐν τε καὶ ταῦτον ὄντα αὐτῷ τοῦτον ὀρισάμενος, πατέρα τούτου χρηματίζειν αὐτὸν ἔφη. τὸν τε λόγον υἱὸν εἶναι αὐτῷ, οὐκ ἀληθῶς ὄντα υἱὸν ἐν οὐσίας ὑποστάσει, κυρίως δὲ καὶ ἀληθῶς ὄντα λόγον. ἐπισημαίνεται γοῦν ὅτι μὴ καταχρηστικῶς λόγον, ἀλλὰ κυρίως καὶ ἀληθῶς ὄντα λόγον, καὶ μηδὲν ἕτερον ἢ λόγον. εἰ δὲ μηδὲν ἕτερον, δῆλον ὅτι οὐδὲ υἱὸς ἦν κυρίως καὶ ἀληθῶς, μέχρι δὲ φωνῆς καὶ ὀνόματος καταχρηστικῶς ὠνομασμένος. Euseb. p. 61. a. b.

(5) Verbum esse ab aeternitate in Deo, seu ἐνδιάθετος, ut attributum quoddam:

Πλὴν Θεοῦ, disputat Marcellus, οὐδὲν ἕτερον ἦν. εἶχεν οὖν τὴν οἰκείαν δόξαν ὁ λόγος ὡς ἐν τῷ πατρὶ. Euseb. p. 39. c. Ubi notandum est, phrasin illam ἐν τῷ Θεῷ, teste Montefalconio (*Coll. Nov. tom. 2. p. LVII.*) in suspicionem venisse multis Patribus, utpote suppositam pro Evangelica illa πρὸς τὸν Θεὸν [Joan. I, 1.] οὐκ εἰπὼν, observat Eusebius, p. 121, b. ἐν τῷ Θεῷ, ἵνα μὴ καταβάλη ἐπὶ τὴν ἀνθρωπίνην ὁμοιότητα, ὡς ἐν ὑποκειμένῳ συμβεβηκός.

Haud aliter Basilius, οὐκ εἶπεν, ἐν τῷ Θεῷ ἔν ὁ λόγος, ἀλλὰ πρὸς τὸν Θεὸν, κ. τ. λ. *Hom. XVI, 4. p. 137.*

(6) Unitatem in Trinitatem esse productam seu dilatatam, rursus autem Trinitatem in Unitatem esse collapsuram.

Dicit Marcellus, εἰ τοίνυν ὁ λόγος φαίνοιτο ἔξ αὐτοῦ τοῦ πατρὸς ἐξεληθὼν, ... τὸ δὲ πνεῦμα το ἅγιον παρὰ τοῦ πάτρος ἐκπορεύεται ... οὐ σαφῶς καὶ φανερώς ἐνταῦθα ἀπορρήτω λόγῳ ἢ μονὰς φαίνεται πλατυνομένη μὲν εἰς τριάδα, διαιρεῖσθαι δὲ μηδαμῶς ὑπομένουσα; Euseb. p. 168. a. b. Etiam pp. 108, b. c. 114, b. {15}

Apud Theodoretum quoque Marcellum tenuisse legimus: Ἐκτασιν τινα τῆς τοῦ πατρὸς θεότητος ... μετὰ δε τὴν σύμπασαν οἰκονομίαν πάλιν ἀνασπασθῆναι καὶ συσταλῆναι πρὸς τὸν Θεὸν, ἔξ οὐπερ ἐξετάθη. τὸ δὲ πανάγιον πνεῦμα παρέκτασιν τῆς ἐκτάσεως, καὶ ταύτην τοῖς αποστόλοις παρασχεθῆναι. *Haer. II, 10.* Nestorius quoque Photinum citat dicentem: «Vides quia Deum Verbum aliquando Deum, aliquando Verbum appellat, tanquam extensum atque collectum.» *Mercat. t. 2. p. 87.*

(7) Dilatationem hanc sive πλατυσμὸν consistere in actione sive ἐνεργείᾳ τοῦ μονάδος.

Verbum docet Marcellus, ἐνεργείᾳ μονῆ, διὰ τὴν σάρκα, κεχωρηθῆναι τοῦ πατρὸς. Euseb. p. 51. a.

Quapropter argumentatur Eusebius, τὸν μονάδα, [ωσ] φησὶ Μάρκελλος, ἐνεργείᾳ πλατύνεσθαι, ἐπὶ μὲν σωμάτων χώραν ἔχει, ἐπὶ δὲ τῆς ἀσωμάτου οὐσίας οὐκ ἔτι. οὐδὲ γὰρ ἐν τῷ ἐνεργεῖν πλατύνεται, οὐδ' ἐν τῷ μὴ ἐνεργεῖν συστέλλεται. p. 108. b. c.

Adeatur quoque ad sextum et septimum anathema Concilii Sirmiensis primi, in quibus Marcellum et Photinum feriri ex quinto Macrosticki facillime concluditur.

(8) Tum primum Verbum fuisse in ἐνεργείᾳ, cum mundum crearet:

Οὐδενὸς ὄντος πρότερον, docet Marcellus, ἡ Θεοῦ μόνου, πάντων δὲ διὰ τοῦ λόγου γίνεσθαι μελλόντων, προῆλθεν ὁ λόγος δραστηκῆ ἐνεργείᾳ. Euseb. p. 41. d. Et continuo, πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι ἐν ὁ λόγος ἐν τῷ πατρὶ. ὅτε δὲ ὁ Θεὸς παντοκράτωρ πάντα τὰ ἐν οὐράνοις καὶ ἐπὶ γῆς προῦθετο ποιῆσαι, ἐνεργείας ἢ τοῦ κόσμου γένεσις ἐδεῖτο δραστηκῆς, καὶ διὰ τοῦτο ... ὁ λόγος προελθὼν ἐγένετο τοῦ κόσμου ποιητής. *ibid.*

(9) Consistere Incarnationem Verbi in dilatatione [πλατυσμῷ] Monados, vel actione [ἐνεργείᾳ] Verbi in carne, seu homine Jesu Christo:

Εἰ μὲν ἢ τοῦ πνεύματος ἐξέτασις, inquit Marcellus, γίνοιτο μόνῃ, ἔν καὶ ταυτὸν εἰκότως εἶναι τῷ Θεῷ φαίνοιτο. εἰ δὲ ἢ κατὰ σάρκα προσθήκη ἐπὶ τοῦ Σωτῆρος ἐξετάζοιτο, ἐνεργείᾳ ἢ θεότης μόνῃ πλατύνεσθαι δοκεῖ. Euseb. p. 36, a. {16}

Neque aliter apud Theodoretum: ἔκτασιν τινὰ τῆς τοῦ πατρὸς θεότητος ἔφησεν εἰς τὸν Χριστὸν ἐληλυθέναι. *Haer. II, 10.*

(10) Cum Verbum esset in actione, ἐν ἐνεργείᾳ, seu fieret προφορικὸς, seu procederet, ut opus quoddam navaret, hoc absoluto rediturum esse in illum in quo prius esset statum: Τὸν ἐν τῷ Θεῷ λόγον, narrat Eusebius, ποτὲ μὲν ἔνδον εἶναι ἐν τῷ Θεῷ ἔφασκε, ποτὲ δὲ προῖεναι τοῦ Θεοῦ, καὶ ἄλλοτε πάλιν ἀναδραμεῖσθαι εἰς τὸν Θεὸν, καὶ ἔσεσθαι ἐν αὐτῷ ὡς καὶ πρότερον ἔν. p. 112, c. Vel ut ipsis Marcelli verbis utar, εἷς Θεὸς, καὶ ὁ τοῦτου λόγος Θεὸς προῆλθε μὲν τοῦ πατρὸς, ἵνα πάντα δι' αὐτοῦ γένηται. μετὰ δὲ τὸν καιρὸν τῆς κρίσεως καὶ τὴν τῶν ἀπάντων διόρθωσιν καὶ τὸν ἀφανισμόν τῆς ἀντικειμένης ἀπάσης ἐνεργείας, τότε αὐτὸς ὑποταγήσεται τῷ ὑποτάξαντι αὐτῷ τὰ πάντα Θεῷ καὶ πατρὶ, ἵνα ὅςτος ἢ ἐν Θεῷ ὁ λόγος, ὡςπερ καὶ πρότερον ἔν πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι. Euseb. p. 41. c. d.

Quod corroborat Basilius quoque in epistola sua ad Athanasium missa, cum Marcellum testificatur docuisse, λόγον εἰρησθαι τὸν μονογενῆ, κατὰ χρεῖαν καὶ ἐπὶ καιροῦ προσελθόντα, πάλιν δὲ εἰς τὸν ὅθεν ἐξῆλθεν ἐπαναστρέψαντα, οὔτε πρὸ τῆς ἐξόδου εἶναι, οὔτε μετὰ τὴν ἐπάνοδον ὑφεστάναι. *Ep. 52.*

(11) Non Verbum sed Jesum esse Dei Filium. Quod quidem, involutum licet in iis quae jam citata sunt, tamen, cum tam amplum impleat spatium in quarta contra Arianos, Marcello autem et Photino a variis scriptoribus attributum, hic in pleniore lumine debet collocari.

Ἱερὸς ἀποστολὸς τε καὶ μαθητῆς τοῦ Κυρίου Ἰωάννης, dicit Marcellus apud Eusebium, τῆς ἀϊδιοτήτος αὐτοῦ μνημονεύων, ἀληθῆς ἐγένετο τοῦ λόγου μάρτυς, Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, λέγων, καὶ... οὐδὲν γεννήσεως ἐνταῦθα μνημονεύων τοῦ λόγου. Euseb. p. 37. b. vid. etiam p. 27 *fin.* Atque iterum, οὐκ υἱὸν Θεοῦ ἑαυτὸν ὀνομάζει, ἀλλ' ἵνα διὰ τῆς τοιαύτης ὁμολογίας [f. ὀνομασίας R. S. C.] θέσει τὸν ἀνθρώπον, διὰ τὴν πρὸς αὐτὸν κοινωνίαν, υἱὸν Θεοῦ γενέσθαι παρασκευάσῃ, [i. e. θέσει υἱὸν Θεοῦ] p. 42. a. Iterum οὗτος ἐστὶν ὁ ἀγαπητὸς, ὁ τῷ λογῷ ἐνωθεὶς ἀνθρώπος. p. 49, a. {17}

Apud Eriphanium autem Photinus, ὁ λόγος ἐν τῷ πατρὶ, φησιν, ἔν, ἀλλ' οὐκ ἐν υἱὸς. *Haer.* p. 830, b. vid. etiam p. 831.

Eugenius porro, in expurgatione sua, οὐ γὰρ ἄλλον τὸν υἱὸν καὶ ἄλλον τὸν λόγον φρονοῦμεν, ὡς τινες ἡμᾶς διέβαλον. Anathematizat autem insaniam Photini et sectatorum ejus, ὅτι μὴ φρονοῦσι τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ αὐτὸν εἶναι τὸν λόγον, ἀλλὰ διαιροῦσιν ἀλόγως καὶ ἀρχὴν τῷ υἱῷ διδοῦσιν ἀπὸ τῆς ἐκ Μαρίας κατὰ σάρκα γενέσεως. *Coll. Nov.* t. 2. p. 3, d.

Nestorius quoque: «Cogitur Photinus Verbum dicere, non autem Verbum hoc Filium confitetur.» *Mercat.* t. 2. p. 87. Vid. etiam Garner *Mercat.* t. 2. p. 314 init.

Accedit quod Marcellus ipse, in apologia sua coram Julio Summo Pontifice habita, praecipue insistit in eo fidei articulo confitendo, qui in his locis periclitatur: e. c. μονογενῆς υἱὸς λόγος, «cujus regni, ut testatur Apostolus, non erit finis, Verbum»; de quo Lucas testatur, «sicut tradiderunt nobis οἱ ἀπαρχῆς ἀπόπται καὶ ὑπηρεταὶ γενόμενοι τοῦ λόγου.» τὸν υἱὸν, τουτέστι τὸν λόγον τοῦ παντοκράτορος Θεοῦ. ἐ δύναμις πατρὸς ὁ υἱός.» *Eriph. Haer.* pp. 835, 6.

(12) Non Verbum, sed Jesum, esse Christum, Primogenitum, Dei Imaginem, Regem.

Εἴ τις τὸν υἱὸν, dicit Eusebius, ὃ πάντα παρέδωκεν ὁ πατήρ, λόγον ὀρίζοιτο μόνον, ὅμοιον τῷ ἐν ἀνθρώποις, εἶτα σάρκα φεσὶν ἀνεληφέναι, καὶ τότε υἱὸν Θεοῦ γεγονέναι, καὶ Ἰησοῦν Χριστὸν χρηματίσαι, βασιλέα τε ἀναγορεύεσθαι, εἰκόνα τε τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου, καὶ πρωτότοκον πάσης κτίσεως, μὴ ὄντα πρότερον, τότε ἀποδεδεῖχθαι, τίς ἂν λείποιτο τουτῷ δυσσεβείας ὑπερβολή; p. 6, b. d. Locus hic, quem, omissis quibusdam, coarctavimus, omnia illa quae Marcello assignantur enumerat. Vid. quoque etiam pp. 49, 50. vel, ut ipsis Marcelli verbis utamur de Primogenito, οὐ τοῖνυν οὗτος ὁ ἀγνώτατος λόγος, πρὸ τῆς ἐνανθρωπήσεως πρωτότοκος ἀπάσης κτίσεως ὀνόμαστο, πῶς γὰρ δύνατον τὸν ἀεὶ ὄντα πρωτότοκον εἶναι τινος; ἀλλὰ τὸν πρῶτον καινὸν ἀνθρωπον, εἰς ὃν τὰ πάντα ἀνακεφαλαιώσασθαι ἐβουλήθη ὁ Θεός, τοῦτον αἰ θεῖαι γραφαὶ πρωτότοκον ὀνομάζουσι. *Euseb.* p. 44, b. c. De Imagine autem, πῶς οὖν εἰκόνα τοῦ ἀοράτου Θεοῦ τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον Ἀστέριος εἶναι γέγραφε; αἱ γὰρ εἰκόνες τούτων, ὧν εἰσὶν εἰκόνες, καὶ ἀπόντων, δεικτικαὶ εἰσιν. πῶς εἰκὼν τοῦ ἀοράτου Θεοῦ ὁ λόγος, καὶ αὐτὸς ἀόρατος ὢν; ... δήλον, ὀπηνίκα τὴν κατ' εἰκόνα τοῦ Θεοῦ γενομένην ἀνείληφε σάρκα, εἰκὼν ἀληθῶς, τοῦ ἀοράτου Θεοῦ γέγονε p. 47, a-d Vid. etiam p. 142, b.

{18}

Idem fert testimonium Eriphanus de Photino: φάσκει οὗτος ἀπ' ἀρχῆς τὸν Χριστὸν μὴ εἶναι, ἀπὸ δὲ Μαρίας p. 829.

(13) Verbum, in fine saeculi, ad Deum rediens, carnem seu humanitatem esse relicturum, regno valedicturum.

Quo in loco, hujus haereseos summa fere et capite, ut in suo symbolo indicarunt Patres Constantinopolitani, multus est Marcellus. Cum «caro non prodest quidquam,» quomodo potest habere sempiternam cum Verbo societatem? pp. 42, 3. Quid quod Dominus jam dixerat, «Si videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?» id quod videtur innuere Verbi separationem illam a carne sua p. 51, c. A Propheta porro diserte dictum est: «Sede a dextris meis *donec* ponam etc.» et a Paulo: «Oportet illum regnare *donec* ponat etc.» p. 51, d. et a Petro: «Quem oportet coelum suscipere *usque ad* tempora restitutionis omnium etc.» p. 52, a. Porro in id universa oeconomia dirigitur, non ut a Verbo, sed ut ab homine, hostis hominis possit subjici, coelum aperiri. p. 49, c. d. οὐδὲ γὰρ αὐτὸς καθ' ἑαυτὸν ὁ λόγος ἀρχὴν βασιλείας εἴληφεν, ἀλλ' ὁ ἀπατηθεὶς ὑπὸ τοῦ διαβόλου ἄνθρωπος, διὰ τῆς τοῦ λόγου δυνάμεως, βασιλεὺς γέγονεν, ἵνα βασιλεὺς γενόμενος τὸν πρότερον ἀπατήσαντα νικήσῃ διάβολον. *Euseb.* p. 52, a. Praeterea, si initium habuerit regnum illud 400 ante annos, non mirum est si habeat finem p. 50, d. ὡσπερ ἀρχὴν οὕτω καὶ τέλος ἔξειν. p. 52, c. Quod si rogaverit quispiam; Quid tum fiet de carne illa immortalis, quondam propria Verbi? respondit Marcellus, δογματίζειν περὶ ὧν μὴ ἀκριβῶς [ἐκ] τῶν θείων μεμαθήκαμεν γραφῶν, οὐκ ἀσφαλές. *Euseb.* p. 53, a. μή μου πυνθάνου περὶ ὧν σαφῶς παρὰ τῆς θείας γραφῆς μὴ μεμαθηκα. διὰ τοῦτο τοῖνυν οὐδὲ περὶ τῆς θείας ἐκείνης, τῆς τῷ θειῷ λόγῳ κοινωνησάσης σαρκὸς, σαφῶς εἰπεῖν δυνησομαι. *ibid.* b. c.

{19}

3. Jam vero, cum haec fuerit doctrina Marcelli, Photini, et factionis istorum hominum, vix quicquam occurrit in singulis ejus articulis, sic ex ordine collocatis, quod non sit tum expressum tum confutatum in quarta illa, quam vocant, Oratione Athanasii. Cujus rei vis eo major esse debet, quod in historia temporum illorum Athanasius tam alienus est ab Eusebio, tam familiariter agit cum Eugenio et Basilio. Cum enim dissimilium ingeniorum, diversarum partium viri, ut Athanasius et Eusebius, ejusdem erroris sunt testes, ut reipsa hic aut illic existentis, errorem illum verisimile est et revera existere, et existere in illo loco, cui Eusebius eum assignat, Athanasius saltem non abjudicat. Deinde Basilius, Athanasius, Eugenius, unam rem agunt in historia hujus quaestionis; accusator Basilius, Marcellus et Eugenius rei, Athanasius judex, crimen haeresis cujusdam societas; quare cum Athanasium eundem de eadem haeresi jam antea scripsisse constet, facilis est conjectura, sanctum Doctorem, cum scriberet, versari in illis ipsis hominibus impetendis, quos postea notat Basilius, horret Eugenius. Verum ad ipsam locorum collationem veniamus, expositis hinc sectae istius placitis, illinc opinionibus ab Athanasio damnatis.

(1) E sectionibus triginta sex libri quarti, saltem una et viginta id agunt ut refellant eos qui dicerent Verbum non esse Filium: esto septem ex iis respexerint Paulianistas, nihilominus reliquis quatuordecim aliquis inveniendus est scopus, cui plene et unice responsurus est comitatus Marcelli.

(2) Increpat Athanasius commentum dicentium, Verbum Dei, similem verbi humani, non habere substantiam; οὐ διαλελυμένος, ἢ ἀπλῶς φωνὴ σημαντικὴ, ἀλλὰ οὐσιώδης λόγος. εἰγὰρ μὴ, ἔσται ὁ Θεὸς λαλῶν εἰς ἀέρα ... ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος, οὐκ ἂν εἶη οὐδὲ ὁ λόγος αὐτοῦ, κατὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων ἀσθένειαν. §. 1. Vid. quoque *Contr. Sabell. Greg.* §. 5. e. Hoc vero idem illud est, conceptis verbis, cuius Eusebius insinuat Marcellum, e. g. ἐπὶ δὲ τοῦ λόγου, σημαντικὸν αὐτὸν δίδωσι, καὶ ὁμοιον τῷ ἀνθρωπίνῳ. p. 118. Vid. quoque p. 128. {20}

(3) Reprobat Athanasius illud in haereticis suis, quod dicerent in Natura Divina prius fuisse silentium, tum actionem quandam; τὸν Θεὸν, σιωπῶντα μὲν ἀνεργητὸν, λαλοῦντα δὲ ἰσχύειν αὐτὸν βούλονται. §. 11. vid. etiam §. 12. At Eusebius Marcellum postulat de eodem; ὁ λόγος ἔνδον μένων ἐν ἡσυχάζοντι τῷ πατρὶ, ἐνεργῶν δὲ ἐν τῷ τὴν κτίσιν δημιουργεῖν, ὁμοίως τῷ ἡμετέρῳ, ἐν σιωπῶσι μὲν ἡσυχάζοντι, ἐν δὲ φθεγγομένοις ἐνεργοῦντι. p. 4, d. Alibi innuit Eusebius posse fieri, ut artifices etiam humani et in silentio sint et in actione simul, interna quadam mentis operatione, p. 167, b; idem innuit Athanasius §. 11, d.

(4) Non pauca superius dicta sunt de πλατυσμῷ illo μονάδος in carne, idque ἐνεργεία quadam; jam in hac materie tota est una pars libri seu Orationis quartae, viz. §§. 13, 14, 25. φησι γὰρ, dicit Athanasius, ὁ πατὴρ πλατύνεται εἰς υἱὸν καὶ πνεῦμα §. 25. τίς ἢ ἐνέργεια τοῦ τοιούτου πλατυσμοῦ; φανήσεται ὁ πατὴρ καὶ γεγονῶς σάρξ, εἶγε αὐτός μονὰς ὦν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ ἐπλατύνθη §. 14.

(5) Dogma illud Verbi a Deo procedentis, ad Deum redeuntis, Marcello tribuunt et Eusebius et Basilius; Athanasius autem illi quam impugnat factioni, ipsis adhibitis vocibus προελθῶν et παλινδρομῶν, πρόσδος et ἀναδρομὴ, προεβάλλετο et ἀνακαλεῖται, γέννησις et παῦλα τῆς γεννήσεως. §. 12. §. 4, e.

(6) Marcellum de Verbo disserentem jam vidimus insistere in phrasi ἐν τῷ Θεῷ: idem fecerunt haeretici illi, de quibus loquitur Athanasius, vid. §. 12. passim §. 2. init. etc. §. 4, e.

(7) Eisdem incusat Athanasius, nisi vellent esse meri Sabelliani, quod necessario tenerent attributa Dei esse res quasdam per se subsistentes in divina natura, quae proinde σύνθετος est: at hoc ipsum deducit Eusebius ex doctrina Marcelli. Athanasius: κατὰ τοῦτο ἡ θεία μονὰς σύνθετος φανήσεται, τεμνομένη εἰς οὐσίαν καὶ συμβεβηκός. §. 2. Eusebius: σύνθετον ὅσπερ εἰσῆγεν τὸν Θεὸν, οὐσίαν αὐτὸν ὑποτιθέμενος δίχα λόγου, συμβεβηκός δὲ τῇ οὐσίᾳ τὸν λόγον. p. 121. vid. p. 149, d. Iterum Athanasius εἰ τοῦτο, πᾶτηρ μὲν ὅτε σοφός, υἱὸς δὲ ὅτε σοφία. ἀλλὰ μὴ ὡς ποιότης τις ταῦτα ἐν τῷ Θεῷ §. 2. Iterum Eusebius: εἰ δ' ἐν καὶ ταυτὸν ἔν ὁ Θεὸς καὶ ἡ ἐν ταῖς παροιμίαις σοφία, ἕξις οὐσα σοφὴ ἐν αὐτῷ νοουμένη, καθὼς σοφός ὁ Θεός, τὶ ἐκωλύεν, κ. τ. λ. p. 150, b. {21}

(8) Teste Eusebio, Marcellus, dogma suum insinuans, professus est sibi praecipue cordi esse monarchiae dogma p. 109, b. quod quidem dogma Athanasius contra, disputationis suae statim principio, confirmat illaesum prorsus esse et securum in doctrina catholicorum.

(9) Celebre est Marcelli dogma illud de regno Christi ad tempus duraturo, ab initiis quibusdam orto, finem tandem habituro: haeticorum autem, quos urget Athanasius, haud absimile est illud §. 8., quod Filio et existendi et regnandi initium videntur assignasse.

(10) Verbum esse Filium etc. in Veteri Testamento negat Marcellus apud Eusebium p. 131, b. pp. 83-101. pp. 134-140; negant haeretici apud Athanasium, §§. 23-29.

(11) Cum loca illa Veteris Testamenti objicerentur Marcello, profitebatur eas anticipationes esse Novi; εἰ δὲ τις, καὶ πρὸ τῆς νέας διαθήκης, τοῦ Χριστοῦ, υἱοῦ ὄνομα τῷ λόγῳ μόνῳ δεικνύναι δύνασθαι ἐπαγγέλλοιτο, εὐρήσει τοῦτο προφητικῶς εἰρημένον. Euseb. p. 82, a. Quare apud Apostolum ad Rom. I, 4. pro ὀρισθεὶς legebat προορισθεὶς. Euseb. *contr. Marc.* I, 2. Vid. Anathem. 5^{um} Concil. Sirm.; vid. porro *Select. Observ.* R.S.C. p. 10. Quod idem de Photino quoque narrat Epiphanius, autumasse scilicet eum Vetus Testamentum scriptum esse προκαταγγελτικῶς, προχρηστικῶς, *Haer.* p. 830. At Athanasius quoque de haereticis suis disputans, ἀλλὰ ναί, φησι, κεῖται μὲν, προφητικῶς δὲ ἔστω. §. 24.

(12) Cum contra Marcellum urgeretur Psalmus 109, voluit «Luciferum» illum esse stellam, quae Magorum dux fuit. Euseb. p. 48, b. Vid. Epiphanius. *Haer.* p. 833, a. Athanasius quoque pro parte sua, per duas sectiones totus est in eodem Scripturae loco excutiendo. {22}


(13) Accedit denique, quod notatu certe dignum est, idem propemodum sentire Athanasium de natura dogmatis Sabelliani, quod Eusebium, Eugenium, Basilium sensisse supra dictum est. Σαβελλίου τὸ ἐπιτήδευμα, τὸν αὐτὸν υἱὸν καὶ πατέρα λέγοντος, καὶ ἑκάτερον ἀναιροῦντος, ὅτε μὲν υἱός, τὸν πατέρα, ὅτε δὲ πατὴρ, τὸν υἱόν. §. 9.

Profecto plura sunt quae conferri possint ad Athanasii librum quartum ex Marcelli et Photini haeresi illustrandum; haec autem qualiacumque satis sint quo demonstratur, illud sanctissimi doctoris opus, non adversus Arianos, sed adversus Photinianorum dogma esse exaratum. Neque id multum in hac re valet, quo motus, Montefalconius dubitat an opusculum *Contra Sabellii gregales* sit Athanasii; nullam scilicet esse memoriae proditam Athanasii cum Sabellianorum familiis dimicationem. Nam si re ipsa certum est, hunc librum de Sabellianismo quodam disputare, esse autem genuinum, (id quod nemo inficiatur,) quid ultra quaerendum est? aliorum silentium explicatione eget, sed nihil probat. Opportunum autem est Sirmondi responsum de Hieronymo similiter praetermittente Eusebii tractatus contra Sabellium:—«de infinitis voluminibus quae ab Eusebio edita testatur, pauca, certe non omnia, Hieronymum commemorasse.» Sirmond. *Opp.* tom. I. init.

Jam mihi disputandi tandem finem facturo, in mentem subito Ciceronianum illud, «Utitur in re non dubia testibus non necessariis.» At certe nulla moles argumentorum illis nimia est, qui adversarios habent Montefalconium Benedictinum, Jesuitam Petavium.

Restat ut subjiciatur operi nostro brevis quaedam analysis partium seu fragmentorum eorum, ex quibus consistit hic liber.

1. Sectiones septem, 1-5, 9, 10, Monarchiam tractant, et cognatam materiam unitatis, simplicitatis, integritatis divinae, tum Filii generationis; quarum una §. 4. et alterius pars §. 3. Arianos alloquitur; reliquae familias Sabellianas. {23}
2. Duo, 6 et 7, cum Arianis cominus pugnant, nihil autem commune habent neque cum sectionibus quae praecedunt, neque cum iis quae subsequuntur.
3. Tres, 8, 11, et 12, comparisonem ineunt inter contrarias sectas, praecipue Sabellianam.
4. Tres aliae, 13, 14, 25, pertinent ad praecipuum quoddam dogma Sabellii et Marcelli.
5. Universae 21. sectiones, quae reliquae sunt, cursum autem paene continuum habent, 15-24, 26-29. unam rem agunt, Verbum scilicet idem esse ac Filius, contra doctrinam Marcelli et Pauli Samosatani.



{24}

DISSERTATIO II.

DE ECTHESI EPHESINA CONTRA PAULUM SAMOSATENUM.



Extat in tertia parte Actorum Concilii Oecumenici Ephesini an. 331. habiti, symbolum quoddam sic fere inscriptum: «De Incarnatione Verbi Dei, Filii Patris, Definitio Episcoporum, qui Nicaeae in Synodo convenerunt, et expositio ejusdem Synodi adversus Paulum Samosatenum.» Ecthesis haec Patribus Antiochenis, qui Paulum condemnaverunt cir. an. 264-270, vindicatur a Baronio an. 272. J. Forbes. *Instr. Hist. Theolog.* 1, 4. §. 1. Lemoy. *Var. Sacr.* t. 2. p. 255. Worm. *Hist. Sabell.* p. 116-119. (Vid. Routh. *Reliq. Sacr.* t. 2. p. 523.) Simon. de Magistris, *Praefat. ad Dionys. Alex.* p. XL. Feverlin. *Dissert. de P. Samos.* §. 9. Fasson. *de voce Homoüsion*, Molkenbuhr *Dissert. Crit.* 4. Kern. *Disqu. Hist. Crit.* de hac re; Burton. *ap. Faber. «Apostolicity of Trinitarianism,»* et aliis. Cum autem *homoüsion* Filii Dei profitetur, adhibita est a criticis quibusdam, quo comprobarent Athanasium, Basilium, et Hilarium, gravissimos auctores, errasse cum dicerent vocabulum illud Antiochiae tunc temporis, in Epistola Synodica Patrum, aut condemnatum esse, aut prudenter omissum. Quae quidem subdifficilis quaestio non hujus est loci, ubi id tantum agimus, pace eruditissimorum virorum, ut allatis argumentis pro captu nostro commonstremus, Ecthesim illam Concilio neque Antiocheno, neque vero Nicaeno esse coevam, sed jure referri in tempora et Paulo et Ario posteriora. {25}

Caeterum occurrit hoc Symbolum ap. Harduin. *Concil.* t. 1. p. 1640. Routh. *Reliqu. Sacr.* t. 2. p. 524. Dionys. Alex. *Opp.* Rom. 1696. (1796) p. 289. Card. Mai. *Nov. Coll.* t. 7. p. 162. Burton. «*Testimonies,*» p. 397-399. Faber. *op. cit.* t. 2. p. 287. Ad rem aggrediamur.

1. Ecthesis haec habet: ὅλον ὁμοούσιον τῷ Θεῷ καὶ μετὰ τοῦ σώματος, ἀλλ' οὐχὶ κατὰ τὸ σῶμα ὁμοούσιον τῷ Θεῷ. At multa suadent vocabulum *homoüsion* non habere locum in symbolis saeculi tertii.

(1) Primum, decantata sunt illa Augustini et Vigilii, ex quibus constat tempore Concilii Nicaeni *homoüsion* fuisse instrumentum novum, quo munita est fides Ecclesiae contra Arianos: «Adversus impietatem Arianorum haeticorum,» inquit Augustinus, «novum nomen Patres *homoüsion* condiderunt, sed non rem novam tali nomine signarunt,» in *Joan.* 97. n. 4. Alio loco monet: «minus quam oportuit intellectum» esse illud nomen Arimini, «propter novitatem verbi.» *Contr. Maxim.* II, 14. «quod tamen,» subjungit, «fides antiqua pepererat.» Vigiliius autem, «res antiqua novum nomen accepit *homoüsion.*» *Disput. Athan. et Ar.* t. v, p. 695. *Bibl. Patr. Col.* 1618. Vid. Lemoy. *Var. Sacr.* I. c.

(2) Deinde, auctor est Sozomenus, *Hist.* IV, 15. a Semi-arianis Sirmii an. 358. adhibitum esse in confessione sua conscribenda illud ipsum symbolum, quod Antiocheni Patres contra Paulum

edidissent; quod quidem certe non adhibuissent amentissimi *homoüsii* insectatores, si illam vocem continuisset.

(3) Tum ex ipsorum Semi-arianorum testimonio idem conficitur, in iis scilicet quae ab illis scripta apud Epiphanium reperiuntur. *Haeres.* 73. Profecto ibi provocant ad Concilium Antiochenum contra Paulum habitum, quo, *usiam* praeseferentes, insinuent suum *homoeüsion*; quod, inquam, contra esset ab illis factum, si Concilium illud in symbolo suo, ut *usiam*, sic *homoüsion* quoque ascivisset.

{26}

(4) Neque sane est quod miremur, (hoc enim obiter dici liceat) si Patres Antiocheni oeconomia quadam utendum esse duxerint, in voce *homoüsion* adhibenda. Nam qui primi Pauli causam tractaverunt, Dionysius, Gregorius Neocaesariensis, Athenodorus, fortasse Firmilianus, fuerunt Origenis discipuli, acerrimi impugnatoris eorum qui corpoream aliquam naturam Deo tribuerent; qualem contendit Paulus, testibus Athanasio et Basilio, in vocabulo *homoüsion* innui. De divina substantia tanquam corpore loquitur Tertullianus, *in Prax.* 7. utitur porro, post Valentinianos, voce *προβολή*, (sicut Justinus cognata phrasi *προβληθὲν γέννημα*, *Tryph.* 62.); at Origenes contra, cum Candido Valentiniano congressus, verbum illud reprobatur, Melitonis autem opus, *περὶ ἔνσωμάτου Θεοῦ* severius notat, *in Genes. Fragm.* t. 2. p. 25, quasi Deum esse materialem docuerit, vid. etiam *de Orat.* 23. Illa Platoniorum quoque admiratio quae in Origene cernitur, eodem spectat, cum philosophi istius sectae, quo Deum simplicissimum et perfectissimum esse traderent, soliti sint illum appellare *ὑπερούσιον*.

Profecto a Plotino Deus appellatur, «origo existentiae et praestantior *usia*.» 5. *Ennead.* v, 11. quia «supereminens omnia est, non illa, sed causa illorum» *ibid.* c. ult. Quod docuerunt porro materialistae de necessitate physica, in causa fuit cur Plotinus Dei energiam et voluntatem diceret ejus esse *usiam*, 6. *Enn.* VIII, 13. Origenes quoque, «Neque enim *usiae* particeps est Deus, participes enim facit potius, quam ipse est particeps.» *Contr. Cels.* VI, 64. Hinc vox *ὑπερούσιον* de Deo usurpatur ab Areopagita, *de div. nom.* I, 2. et a Maximo Confessore; «*οὐσία*, scribit, improprie de Deo dicitur, nam *ὑπερούσιος* est,» *in Areopag. de div. nom.* v. *init.* Vid. etiam Damasc. *Fid. Orth.* I, 4 et 8, pp. 137, 147. Gregorium Naz. quoque, qui Deum docet esse *ὑπὲρ τὴν οὐσίαν*. *Orat.* 6, 12. Et Constantinum *ad Sanct. Coet.* 9.

Origenes sane in Joan. t. 20, 16. eo usque progreditur, ut verba reprehendat *ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς γεγεννηθῆσαι τὸν υἱὸν*; sed ob hanc plane rem, quia arbitratur, perperam quidem, formulam istiusmodi *μεῖωσιν* quandam inferre in notionem Dei.

{27}

Jam Arianis certe usitatissimum fuit, eo nomine postulare *homoüsion*, quasi, Gnosticorum et Manichaeorum more, immaterialitati divinae injuriam fecerit.

Et Dionysium Alexandriae Episcopum constat primo horruisse aliquantum hoc vocabulum, tum solum fidenter illud enunciantem, et confitentem, cum eum Pontifex Romanus ad id hortatus esset.

Neque illud omittendum est, quod circa idem tempus cum habebantur Concilia Antiochiae contra Paulum, illam orbis Christianae partem invaserat Manichaeorum haeresis; quae, utpote verbo *homoüsion* usa in theologia sua, idque materiali sensu, non immerito Patribus metum incuteret, ne vox, in se sanctissima et praeclarissima, illo tempore catholico dogmati parum esset profutura.

(5) Quibus perspectis, forsitan expediri poterit ille nodus in historia Patrum Antiochenorum, quod Athanasius, Basilius, Hilarius, una consentientes de verbo *homoüsion* ab illis Patribus improbato, quare improbatum fuerit, inter se non consentiunt. Scilicet, cum *usia*, ut a Petavio dictum est, *de Trin.* IV, 1. in philosophorum scholis, quod unum est et individuum, tunc temporis significaret, cognata vox *homoüsion*, de Sanctissima Trinitate usurpata, illis qui a theologia sua mysteria excluderent, alterutrum de his erroribus secum ferre videbatur. Nam si verbum illud materiale quid innueret, id jam haeresis erat; si vero immateriale, continuo fieri non poterat, quin illa duo plane essent, non duo ullatenus, sed simpliciter unum. Quare significaret aut Patris partem (*μέρος ὁμοούσιον*) esse Filium, sicut volebant Manichaei, aut Patrem esse Filium, sicut Sabelliani. Paulus igitur in Patres Antiochiae congregatos hoc fere usus est dilemmate: «Nisi vocabulum vestrum Manichaeorum est, quod vos negatis, certe Sabellianismum sonat, id quod ego libenter suscipio;» unde et verum erit, quod Athanasius narrat, Paulum dixisse: «Si *homoüsion* est Christus, tres sunt substantiae in deitate,» et verum quod Hilarius, «*Homoüsion* Samosatenus confessus est.» Subdixerunt itaque Patres voculam, ne illam sophista aut haeresis postularet Manichaeorum, aut in Sabellianam vindicaret.

{28}

2. Legimus etiam in Ecthesi, *μετὰ τῆς θεότητος ὧν κατὰ σάρκα ὁμοούσιος ἡμῖν*.

Multa sunt et gravia, cur credamus, formulam illam *ὁμοούσιον ἡμῖν* temporibus esse tribuendam et Antiocheno Concilio, et fortasse Nicaeno, posterioribus.

(1) Si Vaterlandio credendum est, aetatem Symboli *Quicumque* eruenti, *ὁμοούσιον ἡμῖν* pauci tantum ante Eutychen conceptis verbis tradiderunt, post autem plurimi. Quo hoc comprobet, provocat vir doctus ad confessionem Turribii Hispani an. 447. Flaviani Constantinopolitani et Leonis Papae 449, Concilii Chalcedonensis an. 451, Felicis III, an. 485. Anastasii II. an. 496. Ecclesiae Alexandrinae eodem anno; necnon Hormisdæ, Ecclesiarum Syriae, Fulgentii, Justiniani, Joannis II. et Pelagii I. in saeculo sexto. «In quibus singulis,» inquit, «aut unius natura dogma est reprobatum, aut duarum comprobatum, aut *το ὁμοούσιον ἡμῖν* sancitum; quos quidem articulos frustra quaesiveris in Symbolo *Quicumque*.» *Opp.* t. 4. p. 247. Eodem autem argumento,

quo Symbolum *Quicumque*, verba ὁμοούσιον ἡμῶν omittens, collocatur ante Eutythen, Ecthesis haec Ephesina iisdem usa, post Eutythen collocabitur.

(2) Illud ipsum, quod ὁμοούσιον ἡμῶν est ab Eutyche repudiatum, indicio est hanc formulam non usurpatam esse ab Ecclesia in confessionibus suis, ante Eutychem; namque id haereticorum proprium est, Catholicae traditionis illos articulos respuere, quae hactenus sunt fidelium mentibus non publicis monumentis mandata. «Usque ad hodiernum diem,» contendit in Concilio Constantinopolitano, «non dixi corpus Domini et Dei nostri esse ὁμοούσιον ἡμῶν; confiteor autem Sanctam Virginem esse ὁμοούσιον ἡμῶν, ex qua Deus noster est incarnatus.» Hard. *Conc.* t. 2. p. 164, 5. Scilicet in quaestionem venerat, utrum formula quaedam reciperetur necne, quae, cum apprime esset utilis ad nascentem haeresin opprimendam, adhuc tamen privati solummodo fuisset juris et in certis ut plurimum locis usitata. Idem accidisse cernimus in vocabulo φύσις, quod eo plausibilius rejecerunt Eutythiani, quia rarius occurreret in scriptis Patrum, quando in controversiam vocaretur. De ὑποστάσει, quae vox alteri erit exemplo hujusce rei, post dicendum erit.

(3) Occurreret forsitan a quibusdam dicentibus, articulum hunc ὁμοούσιον ἡμῶν sancitum esse ab Ecclesia cum Apollinaristis confligente; qui, teste Athanasio *ad Epict.* 2., Christi corpus Divinitati consubstantiale esse jactabant. Concedo utique; sed cum Apollinaristae, brevi, dogma ipsi suum deseruerint, (Eph. *Haer.* 77, 25.) non necesse habuit Ecclesia tesseram aliquam fidei contra perfidiam eorum proferri. Ambae quippe Apollinaristarum sectae videntur inter se consensisse in articulo ὁμοούσιον ἡμῶν verbo tenus recipiendo, id solum exagitantibus, utrum de corpore Domini jam cum Divinitate unito, posset ille praedicari, necne; vid. Leont. *de fraud. Apollin.* Attamen occurrit certe formula illa in confessione Joannis Antiocheni, circ. an. 431. Rustic. *contra Aceph.* p. 799. et alibi, ut credo; ea vero non amplius 21. annis antecessit Concilio Chalcedonensi, a quo inter formulas Ecclesiae illa ὁμοούσιον ἡμῶν recepta est.

(4) Enimvero contra Apollinaristarum ὁμοούσιον θεότητι usitatius est in scriptis Patrum, non ὁμοούσιον ἡμῶν, sed ὁμοούσιον Μαρία. Scilicet Amphilocheus, quasi summam rei explicans, «Apparet certe,» scribit, «sanctos Patres dixisse, Filium esse consubstantialem Patri secundum divinitatem, et *consubstantialem Matri* secundum humanitatem.» ap. Phot. *Bibl.* p. 789. Proclus, non τῷ ὁμοούσιον, sed τῷ ὁμόφυλον utitur, adjecto tamen «Virgine,» non «nobis;» τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα ὁμοούσιος, οὕτως ὁ αὐτὸς καὶ τὴν παρθένω κατὰ τὴν σάρκα ὁμόφυλος. *Ad Arm.* p. 618. *circ. init.* Vid. quoque p. 613. *fin.* p. 618. Saepius ὁμοούσιον adhibens Proclus in theologia explicanda, hic non adhibet in oeconomia. Athanasius autem: τὸν ἠνώμενον πατρὶ κατὰ πνεῦμα, ἡμῶν δὲ κατὰ σάρκα. *ap. Theod. Eran.* II, p. 139. Alibi: οὐκ ἐκ Μαρίας, ἀλλ' ἐκ τῆς ἑαυτοῦ οὐσίας σῶμα. *ad Epict.* 2. Vid. quoque verba ὁμογενῆς et ὁμοούσιος inter se opposita *de Sent. Dion.* 10. Eandem rem exprimit τέλειος ἄνθρωπος, e. g. Procl. *ad Arm.* p. 613, quam quidem phrasin, ab Apollinare rejectam, Eutythes recepit. *Concil.* t. 2. p. 157. Leon. *Epist.* 21.

Contra ab Eustathio an. 325. certe dictum est, Christi animam esse ταῖς ψυχαῖς τῶν ἀνθρώπων ὁμοούσιον, ὡσπερ καὶ ἡ σὰρξ ὁμοούσιος τῆ τῶν ἀνθρώπων σαρκί. *Ap. Theod. Eran.* I. p. 56. et ab Ambrosio *ibid.* p. 139. ὁμοούσιον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον ἡμῶν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα; (Vid. quoque Leont. *Contr. Nest. et Eutyth.* p. 977.) quod mirabile sane erit si ab Ambrosio scriptum est, at sancto Doctori paene abjudicatur a Maurinis *Opp.* tom. 2. p. 729. Quid quod Leontium hunc, in cuius opere occurrit, alium esse atque auctorem illum qui scripserit de sectis, Coustantii iudicium est, *Append. Epist. Pont. Rom.* p. 79, eo autem nomine (quod ad rem nostram facit) quia minus «accuratus» scriptor est. At tamen videas aliud specimen ejusdem formulae in Theophilo *Ap. Theod. Eran.* II, p. 154.

(5) Neque illud leve est, quod, cum ab ὁμοούσιον ἡμῶν proferentibus vox οὐσία pro φύσις sive γένος sumatur, ὁμοούσιον autem valeat ὁμόφυλον, sensus contra ὁμοουσίου patribus Antiochenis saeculi tertii videtur esse ille quem fert in formula ὁμοούσιος πατρὶ; nempe ut individuum, non genus, significet; quod quidem, ut jam vidimus, Paulus pro concessio habet in sophismate suo contra illos Patres torquendo. Quod adeo receptum fuit illis temporibus, ut Hippolytus tantum non diserte neget homines esse inter se unius substantiae vel οὐσίας; rogat enim, μὴ πάντες ἔν σῶμα ἔσμεν κατὰ τὴν οὐσίαν; *Contr. Noet.* 7. Malchion autem, in illa ipsa cum Paulo dimicatione, haeresiarcham incusat quod non teneret οὐσιῶσθαι ἐν τῷ ὄλω σωτήρι τὸν υἱὸν τὸν μονογενῆ. Routh. *Reliqu.* t. II, p. 476. Africanus porro confitetur, οὐσίαν ὄλην οὐσιωθεῖς, ἄνθρωπος λέγεται *ibid.* p. 125. Quinimo Athanasius ipse videtur uti verbo οὐσία simpliciter de divinitate Verbi, numquam, quantum scio, de humanitate ab eo assumpta. Vid. *Orat.* I, 45, 57 *fin.* 59 *init.* 60 *init.* 62, 64 *fin.* II, 18 *init.* III, 45 *init.* etc. Inducit autem, quasi inter se contraria, οὐσίαν et ἀνθρώπινον Verbi, *Orat.* I, 41. οὐσίαν et ἀνθρώπινα, III, 34 *init.* Sed hac de re plura possent dici, quam hujus disputationis ratio ferret.

(6) Accedit quod Epistola extat quaedam a Patribus Antiochenis, vel quibusdam ex illis, scripta; quae, de Incarnatione disputans, verbis utitur plane similibus verborum saeculi tertii, plane dissimilibus eorum quae in Ecthesi Ephesina reperiuntur. Mentionem scilicet facit de Filio «incarnato» et «facto homine,» de «corpore ejus ex Virgine sumpto,» de «homine ex semine David,» de «participatione carnis et sanguinis.» Routh. *Rel.* t. 2. p. 473. Atque haec de formula ὁμοούσιος ἡμῶν, Apollinaris, vel potius Eutythici aevo, primum in fidei confessiones recepta.

3. Haec quoque notanda sunt in Ecthesi: ἐν πρόσωπον σύνθετον ἐκ θεότητος οὐρανοῦ καὶ ἀνθρωπειάς σαρκός.

Verbum σύνθετον, latine *compositum*, reperitur in fragmento quod extat disputationis Malchionis

cum Paulo in Concilio Antiocheno, Routh. *Relliqu.* t. 2. p. 476; at πρόσωπον, sumptam pro antitheto, quod vocant, duarum naturarum, ad seriorem aetatem referendum est.

Concedendum sane est *personae* vocabulum reperiri in Tertulliano, idque de duabus Christi naturis disputante. *Contr. Prax.* 27. Hoc tamen fere ἅπαξ λεγόμενον est; quamquam Novatianus certe, cui cum Tertulliano magna est necessitudo, loquitur *de Trin.* 21. de «regula circa personam Christi.» Sed usurpat ille auctor Christi nomen passim in opere suo, non pro Filio Incarnato, sed simpliciter pro Deo Unigenito: e. c. «Regula veritatis docet nos credere *post Patrem* etiam in Filium Dei Christum Jesum, Dominum *Deum* nostrum, sed Dei filium etc. c. 9. *init.* Alibi, «Christus habet gloriam ante mundi institutionem,» 16. Vid. quoque 13, ubi Christum, non Verbum, carnem sumpsisse docet; alibi autem, inita jam disputatione de «Persona Christi,» tamen loquitur de illo ut «secundam personam post Patrem» 26 et 31. Vid. quoque 27.

{32}

Quidquid autem haec valeant, confirmare tamen ausim, (si de re quaquam, quod universe non est, secure potest confirmari.) vocabulum πρόσωπον, de Christo incarnato sumptum, non fuisse in usu Catholicorum usque ad tempora fere Apollinaris.

(1) Non occurrit in Athanasii opere contra Apollinarem, scripto circ. an. 370. exceptis locis duobus, de quibus postea; neque in Greg. Naz. *Ep.* 202 *ad Nectarium*, neque *Epp.* 101, 102. *ad Cledonium*; neque in *Dialogis tribus* Theodoretis, nisi in uno loco, quem, Ambrosio a Theodoro et Leontio tributum, Ambrosii non esse jam diximus; neque in Symbolo Damasi, a quo condemnatus est Apollinaris, vid. *Epp. Dam. ap. Coust.* 4 et 5; neque in Symbolo Epiphaniae, *Ancor.* 121; vid. quoque 75.

(2) Desideratur idem in iis disputationibus Patrum, ubi, si tum esset in usu, jure erat expectandum; cujus vice aliae contra suppositae sunt voculae et phrases, quae et iteratione sua formularum paene gerunt speciem, et varietate sua admirationem movent, cur πρόσωπον quoque in illis locis non reperiat.

E. c. Irenaeus: «Non ergo *alterum* filium hominis novit Evangelium, nisi hunc qui ex Maria etc. et *eundem* hunc passum resurrexisse.... Etsi lingua quidem confitentur *unum* Jesum Christum,... *alterum* quidem passum et natum etc. et esse alterum eorum etc. *Haer.* III, 16, n. 5, 6. *unus* quidem et *idem* existens n. 7. per multa dividens Filium Dei n. 8. *unum et eundem*, *ibid.* Si *alter ... alter ...* quoniam *unum* eum novit Apostolus etc.» n. 9. Extenditur disputatio ad c. 24.

Ambrosius: «*Unus* in utraque (divinitate et carne) loquitur Dei Filius; quia in *eodem* utraque natura est; et si *idem* loquitur, non uno semper loquitur modo *de Fid.* II, 9. Vid. 58. Non divisus, sed *unus*; quia utrumque *unus*, et *unus* in utroque ... *non enim alter* ex Patre, *alter* ex Virgine, sed *idem* aliter ex Patre, aliter ex Virgine. *de Incarn.* 35. Vid. 47. 75. Non enim quod ejusdem substantiae est, *unus*, sed *unum* est» 77, quo in loco verbum *persona* sequitur de Mysterio Trinitatis.

{33}

Hilarius: «Non *alius* Filius hominis quam qui Filius Dei est, neque *alius* in forma Dei quam qui in forma servi perfectus homo natus est ... habens in se et totum verumque quod homo est, et totum verumque quod Deus est. *de Trin.* x, 19. Cum *ipse ille* Filius hominis *ipse* sit *qui et* Filius Dei, quia totus hominis Filius totus Dei Filius sit etc.... Natus autem est, *non* ut esset *alius atque alius*, sed ut ante hominem Deus, suscipiens hominem, homo et Deus possit intelligi. *ibid.* 22. Non potest ... ita *ab se dividius* esse, ne Christus sit; cum *non alius* Christus, quam qui a forma Dei etc. *neque alius* quam qui natus est etc.... *neque alius* quam qui est mortuus etc. ... in coelis autem *non alius* sit quam qui etc. *ibid.* ut non *idem* fuerit *qui et* etc. *ibid.* 50. Totum ei Deus Verbum est, totum ei homo Christus est ... *nec* Christum *aliud* credere quam Jesum, nec Jesum *aliud* praedicare quam Christum» 52.

Haud aliter Athanasius: ἄλλος, ἄλλος· ἕτερος, ἕτερος· εἷς καὶ αὐτὸς· ταυτόν· ἀδιαίρετος. *Orat.* IV, 15 et 29. ἄλλος, ἄλλος. 30. ἓνα καὶ τὸν αὐτὸν. 31. οὐχ ὡς τοῦ λόγου κεχωρισμένου. *ibid.* τὸν πρὸς αὐτοῦ ληφθέντα, ᾧ καὶ ἠνώσθαι πιστεύεται, ἄνθρωπον ἀπ' αὐτοῦ χωρίζουσι. *ibid.* τὴν ἀνέκφραστον ἔνωσιν. 32. τὸ θεῖον ἓν καὶ ἀπλοῦν μυστήριον. *ibid.* τὴν ἐνότητα. *ibid.* ὅλον αὐτὸν ἄνθρωπον τε καὶ Θεὸν ὁμοῦ. 35. Vid. etiam disputationem maxime subtilem in *Orat.* III, 30-58., ubi tamen vix inveneris verbum unum, quod sit theologiae scientiae proprium.

Alia veterum theologorum specimina sunt hujusmodi: «Mediam inter Deum et hominem substantiam gerens.» Lactant. *Instit.* IV, 13. Θεὸς καὶ ἄνθρωπος τέλειος ὁ αὐτός. Meliton *ap. Routh. Rell.* t. I. p. 115. «ex eo quod Deus est, et ex illo quod homo ... permixtus et sociatus ... alterum vident, alterum non vident.» Novat. *de Trin.* 25. Vid. quoque 11, 14, 21, 24. «Duos Christos ... unum, alium» Pamphil. *Apol. ap. Routh. Rell.* tom. 4. p. 320. ὁ αὐτός ἐστιν, αἰεὶ πρὸς ἑαυτὸν ὡσαύτως ἔχων, Greg. Nyss. t. 2. p. 696. ἓνα καὶ τὸν αὐτὸν. Greg. Naz. *Ep.* 101. p. 85. ἄλλο μὲν καὶ ἄλλο τὰ ἐξ ὧν ὁ Σωτὴρ· οὐκ ἄλλος δὲ καὶ ἄλλος. p. 86.

{34}

Vid. quoque Athan. *contr. Apollin.* I, 10. *fin.* 11. *fin.* 13, e. 16, b. II, 1 *init.* 5, e. 12, e. 18. *cir. fin.* Theoph. *ap. Theod. Eran.* II. p. 154. Hilar. *ibid.* p. 162. Attic. *ibid.* p. 167. Hieron. *in Joan. Hieros.* 35.

Haud absimiles loquendi modi, omisso plane vocabulo πρόσωπον, reperiuntur in Epistola illa Patrum Antiochenorum, ad quam jam supra provocatum est: τὸ ἐκ τῆς παρθένου σῶμα χωρῆσαν πάντων τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, τῆι θεότητι ἀτρέπτως ἠνωται καὶ τεθεοποιεῖται· οὗ χάριν ὁ αὐτὸς Θεὸς καὶ ἄνθρωπος. Routh. *Relliq.* t. 2. p. 473. ὅτω καὶ ὁ Χριστὸς πρὸ τῆς σαρκώσεως ὡς εἷς ὠνόμασται. καθὼ Χριστὸς ἓν καὶ τὸ αὐτὸ ὧν τῆι οὐσίαι. *ibid.* p. 474. εἰ ἄλλο μὲν ... ἄλλο δὲ ... δύο υἱοῦς. *ibid.* p. 485. Malchion quoque, «Unus factus est ... unitate subsistens etc.» *ibid.* p. 476.

(3) Constat praeterea, vocabulum πρόσωπον a Patribus antiquis de Christo praedicari incerto illo quotidiani sermonis sensu; id quod saepius vix fieret, si jam recepta esset ea vox in symbola et confessiones Ecclesiae.

E. c. a Clemente Alexandrino Filius vocatur πρόσωπον, id est, vultus Patris. *Strom.* v, 6. p. 665. et *Paedag.* I, 7. p. 132. Vid. quoque *Strom.* VII, 10. p. 886. Haud aliter ἐν προσωπῳ πατρὸς, Theoph. *ad Autol.* II, 22. Vid. ὁμοιοπρόσωπον, Cyrill. Hier. *Catech.* XII, 14 fin. Apud Chrysostomum legimus, δύο πρόσωπα, humanum scilicet et divinum, (nisi placuerit cum Tentschero de Patre et Filio illud accipi,) διηρημένα κατὰ τὴν ὑπόστασιν, in *Hebr. Hom.* III, 1 fin. id porro, cum paulo ante locutus esset contra Paulum Samosatenum, in quem Echthesin Ephesinam conscriptam esse creditur. Vid. quoque Amphiloichium *ap. Theod. Eran.* I, p. 67, qui Christum docet dixisse, Pater major me est, «ex carne et non ἐκ προσώπου θεότητος.» His locis πρόσωπον videtur velle aspectum quandam, unum e multis, sub quibus res eadem potest considerari, quod item Athanasio usitatum est; vid. *de Decr.* 14. *Orat.* I, 54. II, 8. *Sent. Dion.* 4. Qua quidem ratione explicandi sunt duo loci, in quibus videtur sanctus Doctor uti vocabulo πρόσωπον, et quidem incommode, in eo sensu quem fert in theologia, viz. *contr. Apoll.* II, 2 et 10. ἐν διαίρεσει προσώπων; ubi Lequienius, (in Damasc. *Dialect.* 43) putat se reperisse singulare exemplum vocis πρόσωπον pro *natura* adhibitae; male quidem, cum ipse Athanasius in altero loco se explicans, προσώπων ἢ ὀνομάτων scribit. Quae cum ita sint, fortasse minus audiendus est Montefalconius, fragmentum quoddam Athanasii non nisi propter ipsam dictionem rejiciens, vid. *Opp.* t. I, p. 1294. Monet enim post Sirmondum in Facund. XI, 2. illum locum continere doctrinam, «ab Athanasiana penitus abhorrentem;» ideo autem quod versio latina, quam solam habemus, proponit «duas personas, unam circa hominem, alteram circa Verbum.» Quod si aliunde ostendi potest non esse Athanasii fragmentum illud, abjudicetur utique. Caeterum in sensu paulum diverso, non tamen in theologico, vocabulo utitur Hippolytus in loco quem Leontius servavit, *Hipp. Opp.* t. 2. p. 45. ubi Christus appellatur δύο προσώπων μεσίτης, Dei et hominum.

{35}

Praeterea apud Hilarium legimus, «utriusque naturae personam» *de Trin.* IX, 14. «ejus hominis quam assumpsit persona,» *Psalm.* 63. n. 3. Vid. eundem in *Psalm.* 138. n. 5. Apud Ambrosium, «in persona hominis,» *de Fid.* II, n. 61. v. n. 108, 124. *Ep.* 48, n. 4. Colligitur autem ex loco quodam Paschasii Diaconi, *de Spir.* II, 4. p. 194, quam laudat Petavius, *de Trin.* VI, 4, § 3, vocabulum *persona*, pro qualitate seu statu sumptum, etiam in sexto saeculo theologo posse imprudenter excidere. Vid. quoque Cyril. Alex. *Dial.* v, p. 554.

{36}

Quapropter ab eodem Cyrillo, in quarto anathemate suo, adhibita est vox *hypostasis*; εἴ τις προσώποις δυοῖ, ἡγοῦν ὑποστάσεις, etc. quo quid vellet πρόσωπον clarius efferretur. Vid. quoque diligentiam Vincentii Lerinensis in hac re *Comm.* 4.

(4) Accedit quod mirum quantum distant ea quae de antiquorum dictis narrantur a scriptoribus serioris aevi, ab iis ipsis dictis, si quando casu temporum hodie ad nos pervenerint; hic scilicet notiones, justas quidem, sed illas nudas reperimus, illic notiones easdem certis verborum formulis vestitas; ita ut ipsa locorum collatio demonstret illas formulas non pertinere ad vetustatem. E. g. Ab Ephraemio Antiocheno accepimus Petrum Alexandrinum, Chrysostomum, Basilium, Nazianzenum, et alios docuisse «duarum naturarum unionem, unam hypostasin, unamque personam.» *ap. Phot.* cod. 229. p. 805-7. Optime vero; quis dubitet sanctissimos viros in gravissima materia Catholicas enunciassent sententias? Sed aliud est loqui catholice, prorsus aliud uti iis vocabulis quae catholici hoc tempore utuntur, quae quidem non erant necessaria, non erant in ecclesiastico usu, donec irrepsisset haereticorum fraus, donec periclitaretur fidelium salus. Jam si Chrysostomum, quem Ephraemius laudat, adeamus, invenerimus ἔνωσις, συνάφεια, ἐν ὁ Θεὸς λόγος καὶ ἡ σὰρξ, vix autem ea verba quibus illas notiones Ephraemius vestit; in Gregorii Epistola ad Cledonium, ad quam idem auctor provocat, ne semel quidem verbum *persona*; in iis autem quae extant Petri legimus hujusmodi, σὰρξ γενόμενος οὐκ ἀπελεῖφθη τῆς θεότητος· γέγονεν ἐν μητρῷ τῆς παρθένου σὰρξ· Θεὸς ἐν φύσει καὶ γέγονεν ἄνθρωπος φύσει. Routh. *Rel.* t. 3. p. 344-346.

Maximus quoque Confessor sic interpretatur Gregorium Nazianzenum: «Hoc sane, ut puto, magnus quoque Gregorius Theologus dicere videtur ea magna Oratione Apologetica, dum ait, Unum ex ambobus, et ambo per unum: *quasi diceret*, quemadmodum enim ex ambobus, *hoc est*, ex duabus *naturis*, unum velut totum ex partibus secundum *personae* rationem, sic et per unum *persona* ratione ut totum, ambo partes *naturae* ratione, hoc est, duo.» *opp.* t. 2. p. 282.

{37}

Profecto quod in hujusmodi locis immutatur a commentatoribus suspecta facit excerpta illa ex operibus Patrum, quae in aliam linguam reddita ad nos veniunt; ut Ambrosianum illud Leontii; eo magis quia in versionibus latinis, quae solent Graecorum Patrum textum comitari, verborum formulis reipsa occurrimus aliquando injuria intrusis, non malo quidem animo, sed quo sensus evidentior fiat.

(5) Hoc quoque, ut arbitror, ostendi potest, scilicet, prout scripta de hac re, quondam antiquorum alicui assignata, eidem decursu temporis a criticis abjudicentur, ita probabile fieri vocabulum πρόσωπον hic aut illic in iis reperiri. Quod in loco Ambrosii cernitur, jam bis citato; at major hic est materies dicendi, quam quae juste a nobis possit tractari. Alteri tamen exemplo sit, quod exhibet Athanasius. Abesse vocabulum πρόσωπον, theologorum sensu intellectum, a magni Doctoris operibus jam diximus; nunc divertamus ad fragmentum quoddam, in fine tomi prioris Maurini p. 1279 positum. «Olet quidpiam peregrinum,» monet Montefalconius; «et videtur maxime sub finem Eutythianorum haeresin impugnare;» ecce autem in eo vocabulum πρόσωπον. Tum, adeatur ab Epistolam, ad Dionysium quendam scriptam, Julio autem Pontifici perperam tributam; en tibi vocabulum πρόσωπον, n. 2. vid. Coustant. *Epp. Rom. Pontif. Append.* p. 62. Idem

porro reperitur in ἐκθέσει illa τῆς κατὰ μέρος πίστεως, olim Gregorio Neocaesariensi, uni ex Patribus Antiochenis, ab Eulogio autem (*ap. Phot. cod. 230. p. 846.*) Apollinaristis assignata. Reperitur idem apud Sermonem quendam «in S. Thomam,» a Concilio sexto laudatum ut Chrysostomi, a Montefalconio autem rejectum, a Tillemontio Edesseno auctori an. 402. tributum, Ed. Maur. *tom. 8. part. 2. p. 14.* Hic autem obiter dictum velim, celebrem illam Epistolam Chrysostomi *ad Caesarium*, de qua tantae motae sunt lites in controversia sanctissimae Eucharistiae, vocabulum πρόσωπον continere; quod de Hippolyti quoque *Contra Beronem et Helicem* dici potest, si decet de fragmentis illius operis strictim loqui.

{38}

(6) Liceat hic apponi locos quosdam antiquiorum Patrum, in quibus vocabulum illud offendimus.

In Epistolis Apollinaristarum inter se dimicantium, an. 381. *ap. Leont. p. 1033, b. p. 1037, b. p. 1039, b.* ubi etiam occurrit ὁμοούσιον ἡμῶν.

In Apollinaris loco quodam *ap. Theod. Eran. II, p. 173.*

In loco auctoris cujusdam adversus Arianos, quem vocat Sirmondus «antiquissimum.» *Sirm. Opp. t. 1. p. 223.*

In fragmento Athanasii, nempe ut citatur ab Euthymio apud Petav. *Incar. III, 15. not. 19.*

In Gregorii Nyssen. *Antirrhet. contra Apollinarem 35.*

Vid. quoque Damasc. *contr. Jacob. tom. I, p. 424.*

In loco Amphilochii *apud Damasc. ibid. et ap. Anast. Hodeg. 10. p. 162. et ap. Ephraem. ap. Phot. p. 828.*

In Ambrosii loco graece reddito *ap. Phot. p. 805.*

In Isidori Pelusiotae *Ep. I, 360. p. 94.*

In Symbolo Pelagii an. 418. *ap. Augustini opp. t. 12. p. 210.*

In Procli *Epist. ad Armenos p. 613.*

(7) Finem tandem disputandi facientibus forsitan occurreret nobis, Pauli ipsius Samosateni doctrinam fuisse Nestoriani generis; quid autem credibilis, quam Patres Antiochenos, quomodo Hippolytus quadraginta ante annos usus esset vocabulum πρόσωπον in theologia contra Noetum, ita ipsos quoque idem adhibuisse contra Paulum in oeconomia tractanda? At non constat Paulum revera praeiisse Nestorio doctrina sua; quanquam ex Athan. *Orat. IV, 30.* colligi fortasse potest, sectatores ejus tandem a Nestoriana perfidia non longe abfuisse. Nam si ex actis Antiochenis, quatenus hodie extant, judicandum est, doctrinam effudit Paulus fere hujusmodi. Filium exstitisse, ante adventum suum in carne, solum in praescientia divina, *Routh. Rell. tom. 2. p. 466;* si quis doceret secus, eum duos deos praedicare, *p. 467;* Filium, ante adventum in carne, fuisse, aut instrumentum quiddam, aut saltem attributum solum, *p. 469.;* humanitatem ejus non ita esse unitam divinitati ut aliter esse non posset, *p. 473.* Verbum et Christum non unum esse et eundem, *p. 474.;* Sapientiam in Christo esse, sicut in Prophetis, verum abundantius, tamquam in templo; eum autem qui apparuisset, non esse Sapientiam, *p. 475.* denique, ut summa rei proponitur *p. 484,* «non congeneratam fuisse cum humanitate sapientiam substantialiter, sed secundum qualitatem.» Vid. quoque *pp. 476, 485.* Quae quidem omnia certo demonstrant, tribuisse Paulum cum Nestorio hypostasin humanae Christi naturae; tribuisse autem cum eodem naturae divinae alteram hypostasin, non demonstrant. Verius dictum erit, antiquiorem haeresiarcham prorsus non admisisse divinam hypostasim in Christo, ut Sabellii commilitonem; quanquam id est verum quoque, Patres Antiochenos, non libenter tantum scelus tribuentes Paulo, ut hypostasim Verbi negaret, ex iis quae de Christo homine effutiebatur, conjecisse eum docere, ut Nestorium postea, duos esse filios, unum aeternum, alterum temporaneum, *p. 485.* Quare Epistola Synodalis, post ejus depositionem a Patribus conscripta, eum docuisse testatur, Christum venisse non de caelo, sed de terra. *Euseb. Hist. VII, 30.* Neque aliter Athanasius Paulum dicit Christum pro mero homine habuisse, ἐκ προκοπῆς ad divinitatem suam evecto.


{39}

Cum autem non levis esset similitudo inter Pauli et Nestorii dogmata, (illo capite excepto, quod personalitatem et aeternitatem Verbi, Nicaeae interea declaratam, teneret Nestorius, rejiceret Paulus,) aequum erat, Nestorio in jus vocato, ad Pauli priorem haeresim, Antiochia jam condemnatam, a patribus Ephesi congregatis provocari. Attamen contestatio illa contra Nestorium, quae, praefixa actis Ephesinis, *Hard. Conc. t. I, p. 1272.* Paulum et Nestorium inter se ex ordine comparat, ne verbum quidem profert quo concludi possit a Paulo duplicem hypostasim esse excogitatam. Neque, cum narrat Anastasius, *Hodeg. 7. p. 108,* «in sacra Ephesina Synodo demonstratum esse, dogmata Nestorii consonare cum doctrina Pauli Samosateni,» Nestorianismum continuo tribuit Paulo, nisi Artemoni quoque, quem alibi testatur «Christum in duos divisisse.» *c. 20. p. 323, 4.* Ephraemium autem Antiochenum, cum Paulum dicit «alterum ante saecula filium, alterum vero postea summa cum dementia asseruisse» *ap. Phot. p. 814,* verisimile est nihil amplius velle, quam uti iis ipsis verbis Patrum Antiochenorum, de quibus paulo ante locuti sumus. Contra, plane colligitur ex Vigilio *in Eutyech. B. P. t. v. p. 731. Ed. Col. 1618.* (omittitur locus in *Ed. Par. 1624.*) Eutyechianos distinctionem fecisse inter dogmata Nestorii et Pauli, hujus Christum simpliciter pro mero homine habentis, illius eatenus solum usque dum consociaretur Verbo Dei. Marius item Mercator diserte testatur: «Nestorius circa Verbum Dei, non ut Paulus sentit, qui non substantivum, sed prolativum potentiae Dei efficax Verbum esse definit.» *p. 50.* Idem affirmant, licet non fidelissimi testes, et Ibas, et Theodorus Mopsuestiae Episcopus, vid. *Facund. VI, 3. III, 2. Leont. de Sect. III, p. 504.* Caeterum, si genuinae essent

{40}

Dionysii Alexandrini *Epistola adversus Paulum, et Responsio ad Pauli Propositiones decem*, tum certo concedendum esset Paulum Nestorio praeluisse; id autem affirmantibus Tillemontio, Fabricio, Natali Alexandro, Bullo, Burtono et aliis, nos in contrariam sententiam cum Valesio, Harduino, Montefalconio, et Routhio, ire velimus.

Haec de Ecthesi Ephesina, plurima de re exigua; nisi, ut speramus, iis qui scripta Patrum diligentius tractant, aliqua protulerimus, quae, in uno loco definita, ad multa transferri possint.



{41}

DISSERTATIO III.

DE VOCIBUS πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν ANATHEMATISMI NICAENI.



Symbolo Ecclesiae Catholicae, celeberrima vocula *homoûsion* locupletato, subjunxerunt Patres Nicaeni anathematismos quosdam, qui Arianæ perfidiae præcipua capita ferirent. Ex quibus ille est, de quo pauca quaedam hoc loco dicenda censuimus. Non quod formula illa Arianorum sumpta per se difficilior sit intellectu, sed quia placuit doctissimo cuidam viro, de Nicaeno autem Symbolo optime merito, nativo verborum sensui subtiliores notiones suas imponi. Quænam illæ sint, quare prolatae, et qua rationum vi confirmatae, nunc explicandum est.

Docentibus catholicis Christum esse Deum, Ariani protinus illum esse Deum confitebantur ipsi, at Deum inferiorem quendam, ne scilicet Deos duos introducerent in Ecclesiam. Quibus responsum est, Christum contra revera esse summum Deum, neque idcirco duos esse Deos, quia Christus esset Filius Dei; qui autem Dei Filius esset, oportet illum et verum esse Deum, nec tamen alterum, sed eundem ac Patrem suum. At in illo ipso vocabulo *Filius*, quod fidelibus jure documento erat verae divinitatis Verbi Dei, hæreticorum factio collocavit omnem spem suam atque conatum fidei catholicae convellendæ; argumentabantur enim, cum omnis filius patri junior esset, idcirco Filium Dei non esse æternum, neque habere caetera signa verae divinitatis. Quare summa quaestionis in significatione *Filii* tandem posita fuit; utrum scilicet Filius Dei, utpote Filius, essentiam totam et universa habuerit attributa Omnipotentis Dei, an contra initium existendi, et alia quæ de rebus creatis prædicantur. Quo autem rem dirimerent, catholici provocabant ad Patres priorum sæculorum, qui scilicet Filio Dei non temporaneum ortum, sed paternæ Divinitatis plenitudinem tribuissent.

{42}

At in hoc antiquiorum scriptorum testimonio esse quod docta tractatione egeret, censuit Bullus, cui lis a nobis intendenda est, quo bene curreret catholicorum argumentum, et eruditioribus persuaderet. Nam scriptores quinque aevi Ante-nicaeni, Athenagoram, Tatianum, Theophilum, Hippolytum, Novatianum, quorum duo in catalogo sunt sanctorum, non inficiatus est vir doctus ita de Filio Dei loqui, ut hæreticis ansam præbuerint affirmandi, sibi placuisse Verbum Dei factum esse Dei Filium certo quodam tempore, atque ideo quodammodo «extitisse ante generationem suam,» eo certantibus cum Ario quod dicerent Verbum esse æternum, eo consentientibus quod Filium æternum esse non dicerent.

Non ideo tamen improbandus est Bullus, quia sollicita mente priscorum fama, suorum fidei consuluerit. Fateor equidem, non Hippolyto solum et Theophilo, sed Post-nicaenis etiam Hilario et Zenoni Veronensi in hac materia illud excidisse, quod resecatum vel saltem explicatum prudentiores velint; ut Marano quoque, Balleriniis, aliis visum est. Scilicet incommodiora hæc gravissimorum scriptorum verba constat ab hæreticis saltem recentioris aevi in partes suas adduci; nam utrum ab ipsis Arianis sectatoribus objecta fuerint catholicis Concilii Nicaeni sæculo, alia res est. Profecto notatu dignissimum est Arianos ipsos, cum Ecclesia dimicantes, non provocasse ad Patres priorum temporum usque ad circ. an. 352, paene triginta post Concilium Nicaenum exactis annis, cum, argumentis ex ratione et ex Scripturis, (ut Athanasius loquitur in *Epistola sua de Sent. Dion. 1.*) frustra petitis, «tandem eo audaciae processerunt, ut etiam Patres calumniarentur.» Nimirum primo ad Collucianistas solum suos confugiebant; cum autem multos post annos Patres Ecclesiae in suos usus convertere caeperunt, etiam tum Origenem solum appellarunt et Dionysium, non Hippolytum, non Theophilum, non alios illos de quibus supra mentio facta est. Quod autem ne versutissimorum quidem hominum illis temporibus in mentem venit, id recentiores ausi, hos ipsos Hippolyti et caeterorum locos in medium protulerunt, quo comprobarent dogma suum, Dei Filium non esse ad aeternitatem genitum, sed in tempore creatum. Quibus ut occurrat Bullus, eximius alias in hac materie scriptor, Patres reos, in *Defensione sua Fidei Nicaenæ*, illato crimine ita liberat, ut ultro tamen confiteatur illos dixisse, improprie certe, sed aliquo modo, Verbum in tempore fuisse genitum. Plures scilicet iis placuisse putat Verbi generationes, tropicas illas quidem, sed quæ verae generationis typi essent et

{43}

adumbrationes; quales sunt ejus resurrectio a mortuis, item nativitas ex Maria; qualis porro, de qua agendum est, missio ejus a Patre et processio, quo res universas crearet. Hinc non gravate concedit dictum quoddam fuisse Catholicorum, si non Catholicum dogma, tum ante Concilium Nicaeae habitum tum post, «Verbum exstitisse antequam gigneretur;» cujus rei inter alia testimonia adhibet verba Anathematismi, quorum interpretationem in nos hic suscepimus. Contendit enim Patres Nicaenos eo ipso quod condemnarent eos qui dicerent Verbum non exstitisse ante generationem suam, liquido significasse contra, Verbum ante generationem suam exstitisse. Nullus dubitat, ut ipsius verbi utar, «quin hoc pronunciatum Arianorum oppositum fuerit catholicorum istorum sententiae qui docerent Filium quidem paulo ante conditum mundum inexplicabili quodam modo ex Patre progressum fuisse ad constituendum universa.» *Def. N. F.* III, 9, §. 2.

Haec sane de hac Anathematismi Nicaeni clausula argute nimis dicta sunt, et turbant verborum sensum alioqui simplicem et luculentum. Nam procul dubio in illa formula Arianorum, quae a Patribus percillitur, continetur argumentum *ex absurdo*, quod vocant, desumptum; cum ex ipsa vi vocabuli *genitus* confici crederent, Christum existendi initium habuisse. Confirmabant enim (quasi id inficiari quinquam jam fuerit ipsis verbis sibi discrepare) Filium non exstitisse priusquam gigneretur; alioqui non esset Filius. {44}

Quod interest inter explicationem hanc et illam Bulli, in hoc vertitur;—utrum verba ista, «priusquam gigneretur non erat,» sint simplex propositio categorica, an argumentum; sint negatio propositionis ei contrariae, «erat priusquam gigneretur,» id quod Bullo placuit; an potius, ut nobis videtur, γνώμη quaedam, quam Aristoteles vocat, ἐνθυμηματικὴ, propositio rationem suam secum ferens, in qua, assumpta, non affirmata, contrariae propositionis vanitate, recta impetitur alia quaedam, nempe Filium ab aeternitate exstitisse. Arbitratur contra Bullus, et Catholicos et Arianos apertis oculis contemplatos esse propositionem hanc, «exstitisse Filium antequam gigneretur;» de hac certamen inter se instituisse: negasse Arianos, et Catholicos, aut affirmasse, aut saltem permisisse. Profecto ne unum quidem Catholicum virum unquam eam emisisse sententiam non dixerim; affirmasse autem eandem Patres Nicaenos prorsus nego.

1. Primum percurrendum erit ad pristinum illud jurgium, quod nascentem haeresin primum Ecclesiae ostentabat, ut a Socrate narratum est. Testatur enim scriptor ille, Alexandrum, de mysterio Sanctissimae Trinitatis inter suos disputantem, interpellasse Arium, qui fortiter diceret, (1) si Filium genuerit Pater, ergo genitum habere existendi initium; (2) ergo fuisse quando Filius Dei non esset; (3) ergo eundem subsistentiam suam ex nihilo habere. Socr. I, 5. Quibus e contrario collocabimus Anathematismi Nicaeni clausulas; «Illos vero qui dicunt, (1) fuit aliquando cum non esset, et (2) antequam gigneretur non erat, et (3) ex nihilo factus est etc. etc..., anathematizat Catholica Ecclesia.» Quorum cum duae plenissime respondeant duabus ab Ario in Alexandrum conjectis, cui dubium esse potest, tertiam quoque respondere tertiae? id est, «antequam gigneretur non erat» idem velle atque illud «si Filium genuerit Pater, habet genitus existendi initium;» id quod nos contra Bullum contendimus. Haereseos initia non fefellit posterior cursus, namque hic, ut diximus, ipse cardo fuit totius controversiae, nempe utrum Filius, quia Filius, fuerit necne necessaria lege junior Patre suo. At ubinam contra in historia Concilii Nicaeni inveneris mentionem ullam illius propositionis, cui credit Bullus ab Arianis esse reclamatum, «Filius scilicet esse prius quam gigneretur?» Sentit angustias suas vir perspicacissimus, cum ad verba quaedam appellat Arianorum in Epistola illorum ad Alexandrum missa, in qua perstringunt haeretici illos qui dicerent «eum qui prius erat, postea genitum esse aut creatum in Filium.» Athan. *de Syn.* 16, quos vult Bullus quosdam esse Catholicos. Hi autem plane non sunt Catholici, sed sectatores Marcelli et Photini, ut constat, cum ex Euseb. *Eccles. Theol.* I, 1. II, 9. p. 114, b. *Contr. Marcell.* II, 9. tum praesertim ex Anathematismo Eusebianorum in confessione sua quinta, sive Macrostico, ubi ita loquuntur; «Execramur eos qui illum simplex (ψιλὸν) Dei Verbum non subsistens appellant, Christum autem ipsum et Filium Dei non fuisse ante saecula contendunt, sed eo tempore ex quo carnem nostram ex Virgine assumpsit; *hujusmodi* sunt sectatores *Marcelli* et *Scotini* (Photini) Ancyrogalatarum.» Athan. *de Syn.* 26. Quare non Catholicos, sed Marcellum et suos respicit Epistola illa Arianorum ad Alexandrum; quod quidem inde confirmatur, quia illo ipso tempore Marcellum Asterius Sophista, Arianorum antesignanus, scriptis suis lacessebat. {45}

2. Notandum praeterea est, alias quoque Arianorum formulas, decantatas illas quidem, in quibus summa haereseos posita est, ut captiosissimos homines decuit, vim quamdam habere enthymematicam. Cujusmodi sunt, «Qui est, eumne, qui nondum esset, fecit ex nihilo, an qui esset?» et «Unumne est non factum an duo?» Athan. *Orat.* I, 22. et interrogatio illa de «mutabili,» quam cum locum habet in Anathematismo Nicaeno, ita exponit Athanasius: «Nam libero praeditus arbitrio est, an non? an voluntate pro sui arbitrii libertate bonus est, et, si velit, potest mutari, cum mutabilis sit natura; an, ut lapis et lignum, liberam non habet voluntatem in utramque partem se movendi et vergendi?» Athan. *Orat.* I, 35. Scilicet voluerunt haeretici, liberum, quod vocant, arbitrium oportere necessitate quadam ita proprium esse Christi, ut aliter esse non potuerit quin absurdum quid subsequeretur; ex quo conficeretur illum in numero esse creatorum. {46}

3. In *Orat.* I. §. 32. scribit Athanasius ἀγένητον illud sive *non-factum* serius esse suppositum ab Arianis in locum priorum suarum captionum: «Cum jam non sit eis integrum his uti vocibus, e nihilo est, non fuit antequam gigneretur, vocabulum *non facti* etc. cogitaverunt, ut, cum apud simpliciores Filium factum esse dicunt, eadem rursus illa significant vocabula, nempe, ex nihilo est, aliquando non fuit.» Quo in loco quamvis non disertis verbis dicat «Non factum unumne an duo?» pro «Antequam gigneretur non erat» esse substitutum, tamen probabile est certe illum hoc voluisse. Atqui constat formula *non-factum* vel ἀγένητον, ut ea quae jam diximus aliis verbis

proferamus, hoc innui, «Nisi duo sint *non-facta* vel dii, Christus, utpote factus sive genitus, initium habet existendi;» id quod ipsissimum est argumentum illud, quod verbis «Antequam gigneretur non erat», nos assignatum volumus. Caeterum distinctionem illam inter ἀγέννητον et ἀγέννητον, de qua loquitur Montefalconius in Admonitione sua in Epistolam *de Decr. Nic.*, a Damasceno notatam, mihi non persuaderi potest esse coevam Athanasio;—sed hoc obiter.

4. Praeterea dubium non est quin «Non erat priusquam gigneretur» apud Athanasium idem valeat atque alterum illud «Qui est, eumne, qui nondum esset, fecit ex nihilo, an qui esset?» Scilicet quod Ariani contra Filium effutiebant, id pariter ostendit sanctus Doctor contra ipsum Patrem posse contorqueri. «Num qui est Deus,» interrogat, «cum antea non esset, postea factus est, vel estne etiam priusquam gignatur (fiat)?» *Orat.* I, 25. At illud «Qui est eumne qui nondum esset etc.» (ὁ ὢν τὸν μὴ ὄντα etc.) argumentum prorsus est, non mera propositio, idque ex absurdo ductum; ergo ejusmodi est, «Priusquam gigneretur non erat.» Quod plane confirmatur ex Alexandri Epistola Encyclica cum Arii contra Alexandrum prima illa disputatione et Anathematismis Nicaenis comparata. Nam, cum ex his triplex conficitur testimonium, quales fuerint formulae istae in quibus posita est haeresis Ariana, nulla alia in re sibi discrepat, nisi in hac, quod, omisso «Si Filius, ergo habet initium existendi,» ipsius Arii, et «Priusquam gigneretur non erat,» Anathematismi, Alexander Epistola sua supponit ὁ ὢν τὸν μὴ ὄντα etc. «Quod est eumne qui non esset etc.» Accedit quod sibi invicem respondent illae duae, in locis Gregorii Nazianzeni et Basilii infra laudatis, et in Cyrilli *Thesaur.* 4. p. 29. *fin.* {47}

5. Multa sunt temere jacta in Orationibus Athanasii quae nobiscum faciunt in hac re. Nam si Arianorum dictum illud, «Non erat antequam gigneretur,» argumentum erat, ut confirmamus, contra Filii aeternitatem, tum responsuri essent Catholici, «Vere dictum est Christum non esse antequam gignitur; esse non potest ante, quia gignitur ab aeternitate, utpote ab aeterno Patre;» id quod re ipsa reperimus dictum ab Athanasio. «Res creatae fieri coeperunt, (γίνεσθαι)» scribit; «at Dei Verbum, cum principium ex quo sit, (ἀρχήν) nullum habeat, merito nec esse nec fieri caepit, sed semper fuit. Opera igitur principium (ἀρχήν), cum fiunt, habent; quod quidem principium rebus, quae fiunt, prius est; Verbum autem, cum non sit ex numero rerum quae fiunt, ipse potius rerum principium habentium demiurgus est. Deinde ipsum esse rerum factarum in eo ipso quod fiunt mensuram habet (ἐν τῷ γίνεσθαι), eosque Deus ab aliquo principio per Verbum facere incipit, quo perspicuum sit illos non fuisse priusquam gignerentur (πρὶν γενέσθαι); at Verbum non in alio principio habet ut sit, nisi in Patre, qui, ut isti etiam consentiunt, principii est expers; ut ipse quoque Filius sine principio existat in Patre, a quo genitus est, non autem creatus.» *Orat.* II, 57. Neque absimili modo disputant alii Patres. Alterum exemplum peti potest ex *Orat.* I, 10. ubi pro πρὶν γεννηθῆναι supponit Athanasius πρὶν ποιηθῆναι; at credo Bullum non esse dicturum, secundum hypothesim suam, Patres ullos antiquos, disputantes de Filio, verba πρὶν ποιηθῆναι, ut sua, alicubi adhibuisse, Attamen, «Quis hominum, sive graecus sive barbarus,» scribit Athanasius, «quem Deum confitetur, unam ex rebus creatis ausit dicere, et non fuisse antequam fieret?» *Orat.* I, 10. Idem profitetur ipse Arius, suorum certe verborum optimus interpretes, cum ad Eusebium Nicomediae Episcopum scribens, vocabulo γεννηθῆναι in κτισθῆναι; et alia similia mutato, luculentissime ostendit, quod certe non siverit Bullus, se ea esse mente ut argumentum quoddam proferret. «Nos quid sentiamus, et professi jam sumus et nunc profitemur; Filium, antequam gigneretur, aut crearetur, aut destinaretur, aut fundaretur, non fuisse.» *Theod. Hist.* I, 4. Nec discrepat ab Ario Eusebius ipse: «*Manifestum omnibus* est, illud quod factum est, non fuisse antequam fieret.» *Athan. de Syn.* 17. {48}

6. Jam si occurrunt apud Athanasium, quae Bullo favere videantur, facilem tamen habent solutionem. E.g. «Qui fieri potest,» rogat, «ut non sit in numero creatorum, si, ut isti opinantur, non erat antequam gigneretur? siquidem rerum creatarum et factarum proprium est non esse antequam fierent?» *Orat.* II, 22. Dixerit fortasse Bullus, ex hoc perspicuum esse, Arianos affirmasse Filium «Non esse priusquam gigneretur, Catholicos autem» Esse. Sed non est ita; nam, quemadmodum Patres Nicaeni in Anathematismo suo, ut confirmavimus, non ipsam Arianae formulae propositionem simpliciter negant, sed ejusdem vim argumentativam, ita hic quoque vult Athanasius, non «Quo pacto non est creatus, *nisi erat* antequam gigneretur,» sed, «Quo pacto non est creatus, *si illorum argumentum verum est*, non erat antequam gigneretur?» Neque alibi *Orat.* I, 20. cum dicit, «Si non fuerit Filius antequam gigneretur, non semper fuit in Deo veritas,» vult, non «*Nisi fuerit re*» sed «*Si verum sit illud*, Non fuit Filius» etc. Itaque, non multo post idem dicit de Deo Patre, quo vanissimos sophistas suo sibi gladio jugulet, «Estne Deus etiam priusquam gignitur?» non certe quasi in Patre ullam significet generationem, sed quo argumentum ipsum ut ineptissimum explodat, sive de Patre usurpatum sive de Filio. {49}

7. Et profecto ineptissimam et importunissimam esse hanc interrogationem, non simpliciter verae cuidam propositioni contrariam, plenissime cum Athanasio consentientes, judicant et Hilarius et Gregorius Nazianzenus. Missam faciunt, quam prorsus ne proferri quidem oporteret. Gregorius scilicet de hac et aliis Arianorum formulis loquens, in Filio docet, «Generatio cum essentia ipsa *concurrit* atque a principio exstitit;» quod contra fit in hominibus, qui quidem, «ut Levi in lumbis Abrahae,» cum «partim erant, partim procreati sunt, ac proinde partim sunt ex entibus, partim ex non entibus,» illud scilicet complent «Fuit antequam gigneretur;» quod Bullus non in hominibus sed in Filio Dei dici posse arbitratur. Pergit de eadem re magnus theologus: «Quaestionem hanc tuam *absurditatis* multum, *difficultatis* nihil habere aio.» Tum captionibus verborum quibusdam aliis prolatis quae cum Ariana illa possent comparari, «*Ineptius* est» dicit, «id quod a principio erat, *utrum* ante generationem esset (πρὸ τῆς γεννήσεως) *necne*, in quaestionem vocari.» *Orat.* 29, 9.

8. Hilarium fateor Pictavensem in Commentario suo in Matthaeum c. 31. n. 3. verba quaedam

emissione quae Bullo favere videantur. Docet enim egregius ille vindex catholicae veritatis, «Verbum in principio Deum, et hoc principio apud Deum, et natum esse ex eo qui erat, et hoc in eo esse qui natus est, quod is ipse est penes quem erat antequam nasceretur.» Cujus simile est illud quod Bullo favet ex Zenonis Tractatu *de Filii generatione*: «Procedit in nativitate, qui erat antequam nasceretur.» At Zenonem non est cur morem, diligentem, ut a Balleriniis monstratum est, *Diss.* 1, 2. §. 6. Hilarii imitorem. Quod autem ad Pictavensem ipsum attinet, provocamus ab Hilario imperito ad Hilarium peritissimum Arianorum. Constat enim sanctissimum virum, illa scripsisse antequam in Asiam venisset; «regeneratum autem pridem,» ut ipsius verbis utar, «et in Episcopatu aliquantum permanentem, Fidem Nicaenam nunquam nisi exsulaturum» conceptis verbis «audivisse,» *de Syn.* 91. postea autem, ut Coustantius nos monuit, sese correxisse in celeberrimo suo opere quod *de Trinitate* conscripsit. Illic enim, secus ac voluit Bullus, Arianorum formulam «antequam gigneretur non erat,» in sophismatis loco luculentissime ponit. «Adjiciant haec,» de eo scribit, «*arguta* satis atque auditu placentia; Si, inquit, natus est, coepit; et cum coepit, non fuit; et cum non fuit, non patitur ut fuerit. Atque idcirco pia intelligentiae sermonem esse contendant, non fuit antequam nasceretur, quia ut esset qui non erat, non qui erat, natus est,» *de Trin.* XII, 18. Neque aliter illi formulae occurrit; «Unigenitus Deus neque non fuit aliquando non Filius, neque fuit aliquid antequam Filius, neque quidquam aliquid ipse nisi Filius,» 15. quod quidem nihil aliud est nisi negatio illius «Fuit antequam genitus est.» Pergit, ut Gregorius: «Ubi Pater auctor est, ibi et nativitas est, et vero ubi auctor aeternus est, ibi et nativitatis aeternitas est.» 21. Quid potest esse disertius? Porro pro «fuit ante quam natus est,» supponit, «semper natus fuit;» e. g. «Numquid ante tempora aeterna esse, id ipsum sit quod est, eum qui erat nasci? quia nasci quod erat, jam non nasci est, sed seipsum demutare nascendo.... Non est itaque id ipsum, natum ante tempora aeterna semper esse, et esse antequam nasci.» 30. Concludit, Athanasii sensum vel clarioribus retractans verbis; «Cum itaque natum semper esse, nihil aliud sit confitendum esse quam natum, id sensui, antequam nascitur, *vel fuisse vel non fuisse*, non subjacet.» 31. {50}

9. Prodeat denique Basilius in dimicatione sua contra Eunomium; cui argumentato, «Aut existentem genuit Deus Filium, aut non existentem ... Qui est, generatione non indiget,» respondit sanctissimus Praesul, «Eunomium, *quoniam* animalia, cum prius non sint, deinde generentur, qui autem hodie genitus sit, heri non esset, hanc notionem in Unigeniti subsistentiam *transferre*; et *quoniam* genitus est, dicere, ante generationem non fuisse.» *contra Eun.* II, 14. Sophisma autem solvit, ut Patres supra citati, dicendo, Filio esse aeternam generationem, ut loquitur Evangelista, cum «aeternitati Patris generationem Unigeniti connectit.» *ibid.* 15. {51}

Satis superque de hac re sumus disputati; pro certo jam habeatur, a Concilio Oecumenico, Nicaeae congregato, minime sancita esse illa verba quae Bullo Catholica videntur, «Verbum Dei fuisse antequam gigneretur;» quasi ulla traditione Patrum aut Doctorum auctoritate nobis commendentur. Quae cum ita sint, operi nostro hic finis esset imponendus, nisi vir doctissimus, Concilio nequicquam appellato, ad Athanasium ipsum confugerit, Concilii illius magnam partem, quo causam suam apud eruditos felicior spe posset orare. Opinionem nimirum eam, de generatione quadam Verbi ante mundum conditum in tempore facta, Athanasio ipsi impactam voluit, provocans ad Orationem secundam contra Arianos *capp.* 61-64.

Illa operis sui parte, copiosissima disputatione inita de verbis Prophetiae, quae Ariani objiciebant Ecclesiae, «Dominus creavit me in initio viarum suarum in opera sua,» ut in Versione LXX Interpret. leguntur, provehitur sanctus Doctor ad verba Apostoli, «Primogenitus omnis creaturae;» quae proinde ita interpretatur ut doceat Verbum, quod ante saecula fuit Unigenitum, cum creandus esset mundus, condensatione quadam seu *συγκατάβασι* e Patre procedens factum esse Primogenitum. Unde deducit Bullus, illam processionem sive condensationem auctore Athanasio novam quandam, improprie utique, Verbi in tempore esse generationem. {52}

Jam Verbi condensationem quandam esse exhibitam in rerum universitate condenda consentiunt omnes; namque ineffabilis procul dubio erat gratiae et bonitatis, Filium, qui «in principio erat apud Deum,» in cogitationem venisse creatorum, et in creatorum fragilitate versari. Sed hoc Bullo non satis est, nisi condensio illa generatio seu nativitas quaedam appelletur. «Catholici quidam doctores, qui post exortam controversiam Arianam vixerunt,» ad Athanasium autem provocat, «illam τοῦ λόγου ex Patre progressionem (quam et *συγκατάβασι*, hoc est, condensationem eorum nonnulli appellarunt) ad condendum haec universa agnovere; et ejus etiam progressionis respectu ipsum τὸν λόγον a Deo Patre quasi natum fuisse et omnis creaturae primogenitum in Scripturis dici confessi sunt.» *Defen. F. N.* III, 9. §. 1. At Athanasium in hac progressionem et condensationem Verbi voluisse natum denuo esse quodammodo Verbum, et proinde appellatum esse «Primogenitum omnis creaturae» profecto non puto; contra «Primogenitum» illud, non relationis alicujus, quae intercederet inter Verbum et Patrem suum, esse significativum, sed plane muneris cujusdam quod, mundum creaturus, pro bono mundi, benignissime in se suscepit Unigenitus. Scilicet ille, qui ab aeternitate fuit Unigenitus Patris, in universorum compagine et structura illam Filietatem suam signatam voluit, quo typum quandam Unigeniti atque imaginem universa in se exhiberent. Itaque hoc sensu Unigenitus omnis creaturae se fecit Primogenitum, quod, dum mundum ex nihilo duceret, illo ipso tempore se quoque fecit ideam et normam ejusdem mundi, Demiurgus nimirum et summus artifex, sese contemplans atque intuens tanquam unicum exemplar suum, ex quo mundum nascentem exprimeret imitando et conformaret. Quare Filius progrediens a Patre non factus est denuo Filius Patris, sed mundo Filius, ut scilicet condensatione sua mundus fieret quodammodo Patris filius, et in coelestem familiam adoptaretur. Quod si verum est, Primogenitus nihil aliud significare, nisi {53}

Filius Archetypus, videbitur. Ad rationes veniamus.

Primum, verbum συγκατάβασις, sive condescensio, (quod adeo non generationis in se habet ullum sensum, ut testibus Vesselio et Suicero de Aeterno Patre, omnium conservatore, a Patribus usurpetur,) quid velit apud Athanasium, liquebit legentibus sectiones 78-81 Orationis illius de qua hic agitur. Illa disputationis suae pars incipit et terminatur mentione facta condescensionis Verbi: quare ad eam adeundum est tanquam ad praecipuum quemdam locum, unde vis vocabuli in gravissima hac materia possit erui. Incipit autem his verbis: «Quo res factae non tantum existerent, sed etiam bene existerent, placuit Deo ut sua Sapientia se ad res creatas condescenderet, ut typum aliquem et speciem ipsius Imaginis, cum in omnibus simul, tum in singulis imprimeret; quo nimirum perspicuum fieret et sapientia ornatas esse res factas et digna Deo esse opera. Ut enim nostrum Verbum, Verbi, qui Dei est Filius, est imago; ita sapientia in nobis facta ejusdem Verbi, quae ipsa est Sapientia, imago quoque est, etc.» §. 78. Quid hic reperimus de Verbo denuo facto Filio? quid non de Filio imaginem sui imprimente in operibus suis? Finem autem facturum Sapientiam introducit sanctus Doctor ita loquentem: «Omnia quidem in me et per me facta sunt: quia autem opus erat ut sapientia in operibus crearetur, ego secundum substantiam quidem cum Patre aderam, me vero ad res factas condescendens, meum typum in illis apte imprimebam, ut universus mundus tanquam in uno corpore non secum discordaret sed concordaret.» §. 81.

Quod ut planius intelligatur, exponendum est Athanasium autumasse, ne ullam quidem rem creationem suam sustinere posse, ut ne sanctissimam creantis manum tanquam refugiat et ad nihilum continuo recidat, nisi eidem simul Demiurgus ipse condescensione quadam suam impertiat gratiam, quo mirabilem illam patienter subeat operationem, per quam in rerum naturam perventura est. «Verbum,» scribit, «cum principio Demiurgus esset creatorum, condescendit ad res creatas, ut fieri possent. Neque enim ejus naturam, quae purus Patris est splendor, ferre potuissent, nisi,» graeca fortius currunt quam latina, φιλανθρωπία πατρική συγκαταβάς ἀντελάβετο, καὶ κρατήσας αὐτὰ εἰς οὐσίαν ἤνεγκε. *Orat.* II, 64. Quare operibus suis, dum creabantur, ut crearentur, virtutem quandam suam impertiens Artifex Filius, eadem proinde augustissimo filiorum nomine donatus est; συγκαταβάς τοῦ λόγου, perguit sanctus doctor, υἱοποιεῖται καὶ αὐτὴ ἢ κτίσις δι' αὐτοῦ. Ex quo fit, ut non modo per Filium, verum etiam in Filio, ut Apostolus loquitur, rerum universitas facta esse dicenda sit, cum non exteriori solum mandato, sed intima vi et virtute Spiritus ejus consistunt et permanent omnia. «Nam,» ut alibi docet uberrimus ille rerum divinarum interpres, quem saepius appellasse jucundissimum est, «Deus non solum nos ex nihilo fecit, sed etiam Verbi gratia secundum Deum vivere concessit. At homines ab aeternis rebus aversi, sibi ipsis corruptionis mortiferae auctores facti sunt; qui ex natura quidem mortales fuerunt, sed gratia in Verbi participatione sita naturae statum effugerunt.» *de Incarn.* V. D. 5. Itaque nihil fere est creatum, quod non genitum sit quoque; cum contra non stent in loco suo, sed retro fluant et pereant, nisi vitam quandam a Creatore percipiant intus, superadditam creationi suae, Proinde Athanasii mos est in scriptis suis, ut res creatas potius appellet genitas quam factas vel opera, γενητὰ seu γεννητὰ, non ποιήματα et ἔργα, quo sanctissimam hanc exprimat veritatem; cauto tamen semper, gratiae illud esse non naturae, donum Creatoris non creaturae proprium, quod mundus in se habeat hanc formam pulchritudinis, et coelestium necessitudinem, et principium stabilitatis. «Res factae,» docet, «cum sint opera, genitae dici nequeunt, nisi, geniti Filii participes postea effectae, genitae et ipsae dicantur, non sane propriam ob naturam, sed quia Filii factae sint in Spiritu participes.» *Orat.* I, 56.

His perspectis, non difficilis intellectu est mens Athanasii, cum Unigenitum Patris docet esse factum in creatione mundi Primogenitum omnium creaturae. Nam, cum gratia illa, qua impertita natura rerum in suo loco permanet, variis nominibus respici possit, ut lux, ut pulchritudo, ut sapientia, ut ratio, ut coelestis adoptio, ut similia, ille supremus Conditor universorum, seipsum mundo impertiens, fit quodammodo mundo principium et lucis illius, et pulchritudinis, et sapientiae, et rationis, et adoptionis in coelestium societatem. Itaque, qui ex aeterno Sapientia, Lux, Ratio, Filius est Patris, factus est operibus suis principalis quaedam Sapientia, et formatrix Ratio, et Lux plenissime irradians, et archetypus Filius. Sapientia autem Patris tandem facta est sapientia mundo, et fecit ut mundus sapiens esset; lux Patris facta est lux mundo, et fecit ut mundus splenderet; Unigenitus Patris factus est Primogenitus mundo, et fecit ut mundus in familiam Dei adscisceretur.

Profecto fateor haec omnia in mysterio et fructibus sanctissimae Incarnationis verissime compleri, cujus gratia ita superat quicquid universae naturae a Creatore datum est, ut Athanasius in quodam opere confirmare non dubitaverit, mundi creationem esse per Filium solummodo, dispensationem autem Evangelicam esse in Filio. «Decebat creationis quidem exordium per ipsum fieri, ut res existerent; earum autem instaurationem, in ipso; quae sane verba inter se differunt. Nam initio quidem omnia per ipsum facta sunt ut essent; postea, ubi omnia defecerunt, Verbum caro factum est, quam scilicet induit, ut in ipso omnia reficerentur.» *In illud Omnia.* 2. Quid quod, cum carnem sumeret, imaginem sui mundo exhibuit solidiorem multo et clariorem, et verius se ipsum fecit primogenitum inter creaturas, quam cum, universa conditurus, ideam se faceret et regulam rerum condendarum. Fateor equidem; sed prioris operis praestantiam non imminuunt praestantiora illa quae subsecuta sunt; id quod Athanasio adeo persuasum est, ut saepius duo illa una consociet et comparet, extollens quidem meliora, non elevans quod in se bonum est.

Infinita prope locorum sylvae est in sanctis Patribus, ex quibus augustissimum hoc munus Unigeniti, et in rerum natura et in oeconomia evangelica, possit illustrari. «Cum justitia nulla esset in terra, doctorem misit, quasi vivam legem» dicit Lactantius, *Instit.* IV, 25. «Quidquid

facturus erat Deus in creatura» docet Augustinus, «jam Verbo inerat, nec esset operibus, nisi esset in Verbo.» *In Ps.* 44, 5. Alio loco Filius ab eodem appellatur, «ars quaedam Omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium incommutabilium.» *de Trin.* VI, 11. Cyrillus autem Alexandrinus: «Unigenitus» scribit «secundum naturam; primogenitus propter nos, ut tanquam immortalis cuidam radici omnisi creatura insita sit, et ex eo qui semper est, germinet.» *Thesaur.* 25. p. 238. Similiter ab Athenagora Filius vocatur ἰδέα καὶ ἐνέργεια omnium rerum materialium; ἡ ἰδέα ὑπερ λόγον εἰρήκασι, a Clemente Alex. *Strom.* v, 3. ἰδέαν ἰδεῶν καὶ ἀρχὴν λεκτέον τὸν πρωτότοκον πάσεως κτίσεως, testatur Origenes, *Contr. Cels.* VI, 64 fin. κατεσφραγίσθημεν, docet Cyrillus Alex. εἰς τὸ ἀρχέτυπον τῆς εἰκόνης. *in Joan.* p. 91. οἶδὸν ἀπὸ τινος ἀρχῆς, concinit Gregorius Nyssenus, *Catech.* p. 504 fin. Et, ut ad Athanasium redeamus, multus est in eadem doctrina, ut in locis hujusmodi: εἰκὼν καὶ τύπος πρὸς ἀρετὴν, *Orat.* I, 21. τύπον τινὰ λαβόντες et ὑπογραμμόν, III, 20. ἐν αὐτῷ ἦμεν προτετυπωμένοι, II, 76 init. τύπον εἰκονος ενθειναι, 78, init. πρωτότοκος εἰς ἀπόδειξιν τῆς τῶν πάντων διὰ τοῦ υἱοῦ δημιουργίας καὶ υἰοποιήσεως, III, 9 fin. τὴν τοῦ ἀρχετύπου πλάσιν ἀναστήσασθαι ἑαυτῷ. *Contr. Apoll.* II, 5.

{57}

Quare jure optimo, ut credo, pro concesso potest assumi, condescensionem illam Primogeniti ad universa constituenda nullam esse adumbrationem aeterni mysterii quo Filius a Patre gignitur, sed simpliciter referre ad munus quo fungitur Unigenitus erga opera sua, disponens, stabiliens, vivificans ea quae condidit. Scilicet idem fere valet πρωτότοκος atque ἀρχὴ τῆς κτίσεως, et μονογενῆς πρωτεύων ἐν τῇ κτίσει, et πρωτότυπον γέννημα, μόνος γεννητὸς ἐν τοῖς γενητοῖς, et caetera ejusdem generis, ut clarissimo etiam Marano credo placuisse in opere suo «De Divinitate Christi;» neque quicquam facit ad probandum, quod voluit Bullus, Concilium Nicaenum iis favisse qui dicerent, fuisse Filium antequam gigneretur. Finem igitur ponamus aliquando disputationi nostrae, id solum suggerentes insuper, nempe illa quae de Athanasii doctrina supra dicta sunt, fortasse inutilia non fore in quibusdam Antenicaenorum nodis expediendis, quos non Bullus solum, sed eventu felicior et Maranus et Ballerini tractaverunt.



{58}

DISSERTATIO IV.

DE VOCIBUS ἑξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας ANATHEMATISMI NICAENI.



Ambigitur inter doctos, utrum, cum Patres Nicaeni eos anathemate feriunt «qui Dei Filium ex alia *hypostasi* vel *usia* esse sentirent,» vocabula *hypostasis* et *usia* rem unam significant an duas. In hac diversitate judiciorum, jure optimo licet in hanc vel in illam iri sententiam, cum utramque sustineant ii, quos neminem in hujusmodi materie secutum esse poenitebit. Si *hypostasin* volumus ab *usia* distinctam, Bullum habemus auctorem; si vocabula in unum redacta, Petavium. Ego profecto Petavium sequor, felix tanto patrocinio, adductus autem non auctoritate viri, sed ipso factorum monitu, ut arbitrator, et rei veritate.

Bullus, in Defensione sua Fidei Nicaenae, credit, si eum recte interpretor, duas notiones, inter se sejunctas, subesse singulis vocabulis *usiae* et *hypostasi* in hac formula; quasi anathematismus ille, in quo reperiuntur, duas haereses uno ictu feriens, et illos condemnet qui dixerint Filium ex *usia* Patris non esse, et illos quoque quibus placuerit Filium non esse ex *hypostasi* Patris. Et praeterea duas revera haereticorum factiones, in historia temporum illorum, sibi invenisse putat, quae suum utraque locum habeant in illo Anathematismo.

Petavius contra, *de Trin.* IV, 1. *hypostasin* tunc temporis idem velle atque *usiam* arbitratus, in una propositione Anathematismi mentem docet esse conclusam; eo maxime quia, ante Concilium Alexandrinum an. 362 habitum, sensus *hypostasis* ab *usia* diversus nulla esset publica Ecclesiae auctoritate munitus. Quocum consentiunt Coustantius (*Ep. Pont. Rom.* pp. 274, 290, 462.) Tillemontius, (*Dion. Alex.* §. 15.) Huetius, (*Origenian.* II, 2. n. 3.) Thomassinus (*de Incarn.* III, 1.) et Morinus, (*de Sacr. Ordin.* II, 6.) Maranus autem, (*Praef. ad Basil.* §. 1. t. 3. Maur.) Natalis Alexander, (*Saec.* 1. *Diss.* 22. circ. fin.) Burtonus (*Testimonies to the Trinity*, n. 71.) et Routhius (*Reliqu. Sacr.* vol. III, p. 189.) si a Petavio dissentiunt, at certe non consentiunt Bullo.

{59}

Jam palmarium Bulli hoc est, quod Basilius, cum Sabellianis dimicans, qui, suam rem agentes, dicebant Concilium Nicaenum *hypostasi* et *usiae* unum sensum tribuisse, contra clara voce pronunciat Patres voluisse duas res, cum duabus voculis uterentur, et suam cuique vim assignasse.

Provocat etiam ad Anastasium testantem, *Hodeg.* 21. (22. p. 243?) Patres Nicaenos definivisse tres esse hypostases in sanctissima Trinitate. Quod quidem testimonium, ab Anastasio ipso

Andreae Samosateno inscriptum, Petavius putat esse Gelasii Cyziceni, non gravissimi auctoris; testimonium autem est Amphilocho quoque, idem fere scribentis apud eundem Anastasium *ibid.* c. 10. p. 164. Vid. quoque c. 9. p. 150. c. 24. p. 364. ubi Anastasius ipse loquitur. Accedunt loci ex Dionysio Pontifice Romano, Dionysio Alexandrino, Eusebio Caesariensi, Origene quoque, a Bullo citati; in quibus singulis, cum mentio sit trium *hypostasium*, trium autem similiter *usiarum* nulla in patribus sit mentio, perspicuum est *hypostasim* tunc expressisse notionem aliquam, quam *usia* non exprimeret. Accedit quod Athanasius ipse de tribus *hypostasibus* loquitur, *In illud Omnia* 6. *Expos. Fid.* 2. Vid. quoque *Incar. c. Arian.* 10. *Orat.* iv, 25. *init.*

Hoc de testibus ipsis: nunc de haeresibus duabus, quae ex his vocibus tesseram, sibi quaeque suam, confecisse dicuntur. Contendit Bullus distinctionem fecisse Semi-arianos inter *usiam* et *hypostasin*; ex *hypostasi* Patris esse Filium concessisse, ex *usia* negasse. Quare, quando anathematizat Concilium eos qui ex *usia* Patres negant esse Filium, ferit Semi-arianos; quando eos qui ex *hypostasi*, (credo virum doctum hoc velle, non aperte loquitur,) Arianos. Diligentius rem excutiamus.

{60}

1. Incipio, non a testibus, sed ab hac interpretatione, quam, quasi ex historia temporum ductam, Anathematismi verbis vir doctissimus imponit. Quinam sunt ii, qui, Bullo iudice, negarent ex *hypostasi* Patris esse Filium? Concedatur hic Semi-arianos dixisse «ex alia *usia*,» at quinam dixerint «ex alia *hypostasi*?» Ariani? rejecerunt isti ex *usia* utique, sed de *hypostasi*, tanquam diversa ab *usia*, ne verbum quidem protulerunt. Ego vero nusquam esse tunc temporis illos haereticos existimo. Haec autem jacienda erant, severe non conjectura, quasi fundamenta hujus interpretationis; si nulla sunt, corrui aedificium. Nam Bulli haec plane principalis et absoluta est propositio, illos qui negarent ex *usia* non esse eos qui negarent ex *hypostasi*. Quaerimus duo genera haereticorum; et non designat ullos homines, qui negarint ex *hypostasi*, ex *usia* non negarint.

2. Deinde, Semi-arianos tenuisse ex *hypostasi* sensu illo peculiari *personae*, quem *usia* non habet, hoc unico probat argumento, quod tres illae Semi-arianorum Confessiones, ann. 341, 344, 351, quae sigillatim appellantur Marci Arethusii, Macrosthichus, et prima Sirmiensis, illos anathemate feriunt qui dicerent Filium esse «ex alia *hypostasi* et non a Deo,» praetermissis verbis «ex alia *usia*,» quae inde concludit esse propria Semi-arianorum. Quid velint verba illa praetermissa, mox dicendum erit; interea notatu dignum est, confessionem Philippopolitanam, ex Marci illa Semi-ariana sumptam, Hilarium ita non suspicari, tanquam lacunosam, quia omiserit «ex alia *usia*,» ut illam contra defendat eo ipso quod retinuerit, ut putat, tesseram Catholicorum, *de Syn.* 35. quod quidem perinde est, quasi aperte dixerit «ex alia *hypostasi* et non ex Deo,» idem velle atque «ex alia *hypostasi* vel *usia*,» Accedit quod Athanasius quoque, in narratione sua eorum quae Nicaeae de anathematismo occurrebant, *de Decr.* 20. *fin.* plane omittit *hypostasin*; quasi, dum *usia* staret in suo loco, idem fuerit aut adjungere aut omittere *hypostasin*.

{61}

3. Hoc praeterea notandum est, nihil prorsus a Bullo esse prolatum, quo demonstraretur Semi-arianos revera reprobasse «ex *usia*;» cum plane constet contra dogma illud recepisse eos, non reprobasse. «Certissimum» esse confirmat, haereticos eos, qui tres illas confessiones supra laudatas protulerunt, scilicet Semi-arianos, «nunquam fassos, nunquam fassuros fuisse Filium ex *usia* Patris progenitum.» Fateor eum hac in re habuisse Petavium consentientem sibi; sed me non perterret tantorum hominum conspiratio, qui Athanasium a me esse noverim. Quod quidem concedit Petavius, Athanasium arbitratus, utpote minus versatum in subtilitatibus Semi-arianorum, credidisse id eos tenere quod non tenerent. «Horum Semi-arianorum,» scribit, «quorum antesignanus fuit Basilius Ancyrae Episcopus, prorsus obscura fuit haeresis ... ut ne ipse quidem Athanasius satis illam exploratam habuerit.» *de Trin.* 1, 10. §. 7.

Haec Petavius; nunc contra audiamus verba Athanasii. «Viros qui alia quidem omnia Nicaeae scripta recipiunt, de solo autem *homoüsio* ambigunt, non ut inimicos spectari par est ... Cum enim *confiteantur ex usia Patris et non ex alia hypostasi esse Filium* ... non longe absunt ab *homoüsii* voce recipienda. Talis est Basilius Ancyrae, qui de fide scripsit.» *De Synod.* 41. Quo in loco Athanasii illud quoque notabile est, praeter ea quae de Semi-arianorum doctrina testatur, quod *hypostasin* et *usiam* idem plane facit fidelissimus hujus historiae interpres. Neque id omittendum est, quo Semi-arianos pergunt urgere, idcirco scilicet eos debere «*homoüsion*» profiteri, quia jam profiterentur «ex *usia*,» quod ipsorum tessera «*homoeüsion*» non satis posset muniri.

Hilarius item, cum id agit ut ea defendat quae Semiarianis Ancyrae vel Sirmii lata essent, inter alia quae recte confiterentur, hoc esse testatur, «Non creatura est Filius genitus, sed *a natura Patris* indiscreta substantia est.» *de Syn.* 27.

{62}

Idem probatur, ni fallor, ex iis ipsis apud Epiphanium scriptis Semi-arianorum, quibus motus credit Petavius, illos haereticos «ex *usia* Patris» Filio denegasse. Subtilius aliquanto disputat, Semi-arianos tradidisse argutias quasdam de diversis, ut autumabant, actionibus (ἐνεργείαις) divinis, quorum una esset actio γεννητική seu generativa, alia κτιστική seu creatrix; unde colligerunt Filium esse, non ex *usia*, sed per actionem illam generativam, ἐξ ὁμοιότητος, ex similitudine Patris. At certe ea quae plane confitentur Semi-ariani in hac Confessione sua plus valent quam vult Petavius, et «ex *usia*» non obscure significant; οὐδὲν ὁμοιον, dicunt, καὶ κατ' οὐσίαν ἐκ τοῦ πατρὸς p. 825. b. ὡς ἡ σοφία τοῦ σοφοῦ υἱός, οὐσία οὐσίας, p. 853. c. κατ' οὐσίαν οὐδὲν τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς. p. 854. c. ἐξουσία ὁμοῦ καὶ οὐσία πατρὸς μονογενοῦς υἱοῦ. p. 858. d. Vid. quoque vocabulum γνήσιος *ibid.* et Athan. *de Synod.* 41., ut alia, quae iidem proferunt, praetereamus.

Quod quidem ex collatione illa quoque colligetur, inter Semi-arianos et Anomoeos,

Constantinopoli coram Constantio an. 360. habita, cum Semi-ariani, teste Theodoro, non gravate confessi sunt etiam «*homoüsion*» illud Catholicorum, idcirco, quia jam confiterentur «*ex usia*.» Cum enim Anomoei *homoüsion* condemnatum vellent, Silvanus Tarsus, Semi-arianorum vir primarius, «Si Deus Verbum non est ex nihilo,» respondit, «neque creatum, neque alterius *usiae*, *homoüsius* igitur est Deo qui ipsum genuit, utpote Deus ex Deo, et lumen ex lumine, eandemque cum Genitore naturam habet.» Hist. II, 23. Quo in loco, ut in illo Athanasii, notandum est, Theodoretum, cum videtur ipsum Nicaenorum Anathematismum citare, tamen omittere verba «*ex alia hypostasi*,» tanquam supervacanea, cum «*ex alia usia*,» jam memorasset.

{63}

Hoc autem Petavio et Bullo concedendum est, Semi-arianos temporis progressu propius accessisse ad Catholicam fidem; ita ut non jure possimus provocare ad illorum confessionem an. 358, quo probemus quid an. 325 de Filii generatione sensissent. Quippe ex gremio Eusebianorum oriebatur schola quaedam et moribus et doctrina gravior, laudata autem ab Athanasio et Hilario; quam postea, Damaso Pontifice, relicta tandem haereticorum factione, ad fidem Petri magna ex parte constat confugisse. Qui homines, quia «*ex usia*» confessi sint nondum Catholici, non ideo Eusebii illi duo idem tenuisse censendi sunt, neque Asterius, neque caeteri, qui ipso Patrum Nicaenorum tempore, haeretici licet, a simplici Arianorum vesania refugerunt. Esto igitur dubium, ut Bulli causam oremus ultro, Semi-arianos Nicaenos «*ex usia*» recepisse; tamen certum ne est eos contra recepisse «*ex hypostasi?*» Minime sane; nam ipse Petavio, qui illis «*ex usia*» abjudicat, non voluit iisdem cum Bullo tribuere «*ex hypostasi*.» Quae cum ita sint, historia controversiae tandem relicta, ut Bullo minus commoda, ad testes veniendum est.

Ex his testibus Gelasius est auctoritate tenui, Anastasius posterioris aevi. Quod autem ex Amphilochio adducitur, satis habiturum esset ponderis, nisi Basilius, eidem conjunctissimus, idem testimonium, idque expressius, dedisset. In Basilium igitur, magnum certe auctorem, tota res recidit; et profecto si unius viri testimonio concedenda est diremptio quaestionis hujus, Basilium protinus sequamur; *hypostasin* et *usiam* inter se differre, dimissis argumentis, plena voce profiteamur. Sed nimirum uni viro, gravissimo licet, aliis adversantibus testibus, certe non est confidendum.

Primum illud est, ut supra commonstravimus, Athanasium et Hilarium, non quidem data opera, sed in disputationis cursu, ita de *hypostasi* et *usia* esse locutos, ut significarent vocabula ea unam rem, non duas, voluisse in Anathematismo. Nam commutant illa inter se; *hypostasin* omittunt; omissa autem, tamen Anathematismum tanquam omnibus numeris absolutum aestimant. Praeterea Hilarius in *Fragm.* II, 27. cum velit Anathematismi verba latine vertere, «*ex altera substantia vel essentia*» scribit. Cujus simile fortasse est illud Eusebii in Epistola sua, «*ex alia hypostasi et usia*» c. 7.

{64}

Haec sint praeludia quaedam, namque Athanasius, in Epistola sua *ad Afros*, ad vocem ipsam paene definiendam ex proposito aggreditur; «*Hypostasis* est *usia*, neque aliam habet significationem, quam hoc ipsum quod est. Quod Hieremias vocat existentiam, cum dicit etc.» §. 4. Quamvis autem alibi loquitur de tribus *hypostasibus*, aliud illud est; nam quia *hypostasis*, numerali diserte addito, vult *persona*, non inde continuo perspicuum est quid tum velit, cum in singulari stat et in alio verborum contextu reperitur. Ego hoc verissimum esse puto, quando trium mentio est *hypostasium*, *hypostasin* personam velle; sed in Anathematismo Nicaeno non legimus «*tres hypostases*,» sed «*hypostasin vel usiam*,» quemadmodum Athanasius, alibi de tribus *hypostasibus* locutus, tamen *hypostasin* in singulari sumptam *usiam* interpretatur (vid. e. g. *Orat.* III, 66. IV, 1. f. 33 *fin.*) ita Patres quoque Nicaeni, «*hypostasin*» proferentes et *usiam* adjicientes, vocabula duo inter se non opposita, sed apposita voluerunt.

Non minus aperte, nec minore auctoritate loquitur Hieronymus: «*Tota saecularium litterarum schola nihil aliud hypostasin nisi usiam novit.*» *Ep.* XV, 4. Quid quod de tribus *hypostasibus* disputans, liberiora haec profert, quae non protulisset utique, si Patribus Nicaenis *hypostasis* «*persona*» sonuisset. «*Si jubetis, condatur nova post Nicaenam fides; et similibus verbis cum Arianis confiteamur orthodoxi.*» Certe si Basilius validus est testis ex una parte, non minus ex altera gravis Athanasius, vehemens Hieronymus.

Basilius porro, non Caesariensis, sed Semi-arianus ex Ancyra, et alii ejus congregales, idem testantur apud Epiphanium: «*Hanc hypostasin Patres usiam vocarunt.*» *Haer.* 73, 12 *fin.* Cui suffragatur confessio illa quam Epistolae Sardicensi assutam invenimus: «*unam esse hypostasin, quam ipsi haeretici usiam appellant.*» Theod. *Hist.* II, 6.

{65}

Sed occurreret forsitan, Hieronymum, Occidentalem virum, Basilium et Gregorium Semi-arianos, non satis fidus in hac re esse auctores, sed prout sua ipsorum aut veritatis traditio, aut haereticus error ferebat, asseverantius quam consultius de sensu *hypostasi* esse testatos. Esto; at Magnus Basilius contra habuit ille quoque suos amicos, traditionem suam; si enim Occidens unam *hypostasin* praedicaverat, tres *usias* Semi-ariani, ita Orientales contra strenuos fuisse constat in trium *hypostasium*, unius *usiae* confessione.

Praeterea Socrates auctor est, disceptatum fuisse Alexandria de *hypostasi* paulo ante Concilium Nicaenum, quam tamen «*ne verbo quidem dignatum est Concilium illud.*» *Hist.* III, 7. id quod aliter se habet, si inter *hypostasin* et *usiam* a Concilio distinctum est.

Concilium denique Alexandrinum an. 362. habitum, cum decerneret integrum esse *hypostasin* vel pro *usia* vel pro persona adhiberi, non solum eo ipso significavit, vocabulum illud adhuc relictum esse, ut aiunt, in Ecclesia, sed id apertissime declarat in Epistola sua. Si enim *hypostasi* sensum suum jam imposuisset Concilium Nicaenum, quid reliquum erat Alexandrinis nisi eum profiteri? Cujus argumenti vim ita intelligit Bullus, ut confugiat ad conjecturam, innovatum fuisse in «*veteri*

vocabuli usu» illo ipso Concilii Sardicensis tempore, reclamantibus et Socrate, qui illum usum ante Concilium Nicaenum collocat, *Hist.* III, 4, 5 et tabula Sardicensi, in qua unius *hypostasis* doctrina ex traditione Catholica repetitur.

Ea quae adduximus saeculi quarti sunt testimonia; neque aliud sonant, rariora licet, quae de eodem vocabulo in saeculis ante-nicaenis traduntur. Socrates hic audiendus est: «Qui Graecam inter Graecos philosophiam tradiderunt, *usiam* quidem pluribus modis definierunt; *hypostasis* vero nullam prorsus mentionem fecerunt. Irenaeus quidem Grammaticus, in Lexico per ordinem litterarum digesto, quod Atticistes inscribitur, hanc vocem barbaram esse affirmat. Neque enim apud quenquam veterum scriptorum eam reperiri; ac sicubi fortasse reperiatur, non eo sensu, quo nunc sumitur, usurpari. Etenim apud Sophoclem in Phaenice ea vox insidias significat; apud Menandrum vero condimenta, perinde ac si quis faecem vini in dolio subsidentem appellet *hypostasin*. Verum licet ab antiquis philosophis haec vox usurpata non fuerit, sciendum est tamen, recentiores ea frequenter usos fuisse pro *usia*.» *Hist.* III, 7. Ex Ante-nicaenis, plurimus est Origenes in vocabulo *hypostasis*; idque, contextu verborum interprete, ut significetur «persona». Loquitur porro de tribus *hypostasibus*; ut Dionysius quoque, ejus discipulus; et Eusebius, ita tamen ut *hypostasim* cum *usia* confundat; item Athanasius, ut supra dictum est, (Orig. *in Joan.* II, 6. Dionys. *ap. Basil. de Sp. S.* n. 72. Euseb. *ap. Socr.* I, 23. Athan. *In illud Omnia.* 6.); de duabus Patris et Filii, Origenes, Ammonius, Alexander, (Origen. *in Cels.* VIII, 2. Ammon. *ap. Caten. in Joan.* x. 30. Alex. *ap. Theod.* I, 3. p. 740.) Quare videtur illa vox in Ecclesia catholica prius scholae cujusdam esse propria, nempe Alexandrinae: post autem exortas haereses ne verborum ambiguitas fidelibus fraudi esset, ab Ecclesia ipsa ex scholis in suos usus esse conversa. Profecto, quod alte in mentibus Catholicorum jam inde ab Apostolis insedit, Tria revera esse in Una Divinitate, id, cum a malesana philosophia periclitabatur, placuit Ecclesiae, Dei monitu, per vocabulum *hypostasis* exprimi. Qua in re cum Bullo et Marano consentio plane; nisi quod Maranus *hypostasin* «summo consensu» receptam esse putat ab Oriente a Noeto vel saltem Sabellio exorto, Bullus autem «apud Catholicos Dionysii aetate ratum et fixum illud fuisse, tres esse in divinis hypostases.»

Inquirendum est denique, cur, unam rem prae oculis habentes, duobus vocabulis *usia* et *hypostasi* in Anathematismo suo usi sint Nicaeni Patres. Respondet Coustantius, *hypostasin* primo scriptam ab illis fuisse, deinde *usiam* provida mente adjectam, ne scilicet *hypostasin* prave verterint Sabelliani, quasi voluerit *persona*. Crediderim praeterea *hypostasin* priorem ideo habuisse locum, quia Concilio Oecumenico, sub Latinorum magisterio habito, vocabulum *substantia*, seu *hypostasis*, quasi nativum fuerit et solemne. Quin Damasus, quinquaginta post annos, loquitur de Spiritu Sancto tanquam ejusdem *hypostasis* et *usias* cum Patre et Filio. *Theod. Hist.* II, 17; longe aliter atque Concilium Oecumenicum secundum, a quo, absentibus quippe Latinis, tres *hypostases* commemorantur. Neque alius fuit nisi Hosius, ex praesulibus scilicet Latinis, (qui ipse Pontificis fuerat legatus Nicaeae,) qui controversiam de *substantia* sive *hypostasi*, in Alexandriam induxerit. Sardicae quoque, quanquam *hypostasis* pro *usia* in Epistolam Synodalem non inducebatur, tamen ex historia Concilii constat, Hosium ibi restitisse iis, quibuscum magna ex parte consentiebat. Hoc porro in controversia fortasse erat saeculo tertio inter Dionysios duos, Pontificem Romanum et Alexandrinam Praesulem, (ut visum est Coustantio, dissentientibus autem Marano et Routhio): cum Alexandrinus tres esse hypostases confirmabat, Pontifex autem tres divulsas (μεμερισμένως) i. e. tres substantias condemnabat, quasi tritheismum sapuerint; Alexandrinus autem regerebat, «Si eo quod tres sunt *hypostases*, divulsas esse dicunt, tres sunt, etiamsi nolint, aut Divinam Trinitatem prorsus e medio tollant.» *ap. Basil. de Sp. S.* 72. Quid quod Occidentalium usus in Athanasio cernitur, semel vel iterum hospite Pontificis Romani; qui, cum Origenes, Dionysius, Ammonius, Alexander, populares sui, duo et tres *hypostases* confitentur, ita tamen ipse variat vocabuli sensum, modo unam, modo tres docens *hypostases* in Divinitate, ut videatur prope in se ostendere illam loquendi libertatem, quam in Concilio Alexandrino Catholicis asseruit.

Quae si recte se habeant, intelligi potest quare, in tribus illis Confessionibus Semi-arianorum, omittatur «ex *usia*» quia scilicet mittebantur ad Latinos, quos ut conciliarent, utebantur haeretici illo vocabulo, quod in auribus Latinorum clarius soniturum esset; quemadmodum Athanasius contra, ut vidimus, in Epistola sua *de Decr. Concil. Nic.* scribens ad Graecos, omittit *hypostasin*, *usiam* retinet. Neque absimili ratione, quemadmodum Semi-ariani voluerunt praetensa *hypostasi* Occidentalibus blandiri, ita Acaciani contra an. 359, jam ex Constantii favore audaces, illud idem vocabulum, non aliud, Arimini ab Occidentalibus repudiatum voluerunt; ut conspici potest ex illo symbolo, quod, conscriptum Nicaeae in Thracia, non solum *usiam*, ut in aliis confessionibus Arianorum, sed *hypostasin* etiam omittit; quo scilicet Latinis necesse esset, non solum graecum «*homoüsion*» sed latinum «unius substantiae» rejicere.

Jam vero, si usitatum est philosophorum scholis, illam magis probabilem judicari hypothasin, quae ad universa facta, de quibus agit, facillime accommodatur, quid nobis ea quae jam dicta sunt perpendentibus restat, nisi ut concludamus, vocabulis *hypostasi* et *usia* Anathematismi Nicaeni unam rem, non duas significari?

NIHIL OBSTAT—Paulus Cullen Censor Theol. Deputatus.

NIHIL OBSTAT—Joannes Perrone S. J. Censor Theol. Deputatus.

IMPRIMATUR—Fr. Dom. Buttaoni Ord. Praed. S. P. A. Magister.

NOTES

[1] Theod. Eran. II, p. 136. Justin. ad Menn. Cyrill. Ep. p. 4. Facund. Tr. Cap. III, 3. Concil. Later. Sect. 5. Agath. Ep. ad Impp.

[2] Vid. voces σκόπος, κανών, ἀλήθεια, διάνοια, etc. Orat. 1, 37 init. 44. init. 46. init. II, 1 init. 5 init. 31 init. 33 init. 35 init. 44 init. 63, 65 init. 70 init. III, 7 fin. 18 med. 28 fin. 29 init. 35, 58. fin. etc.

[3] Vid. ἀλλοτριούσιος Orat. I, 20 ὁμοίας οὐσίας ibid. 21, 26. III, 26. ὁμογενής, I, 56. ὁμοφυής; ibid. 58. Cf. de Syn. 5. ubi ὁμοιούσιον reprobat. Cf. item argumentum, non ad consubstantialitatem, sed ad aeternitatem Filii a voce εἰκῶν ductum, Orat. 1, 20 cum illo ab eadem ad consubstantialitatem, de *Decret.* 20, et 23. Greg. Naz. *Orat.* 36.

[4] Plutarch. Cic. 5.

*** END OF THE PROJECT GUTENBERG EBOOK DISSERTATIUNCULAE QUAEDAM CRITICO-THEOLOGICAE ***

Updated editions will replace the previous one—the old editions will be renamed.

Creating the works from print editions not protected by U.S. copyright law means that no one owns a United States copyright in these works, so the Foundation (and you!) can copy and distribute it in the United States without permission and without paying copyright royalties. Special rules, set forth in the General Terms of Use part of this license, apply to copying and distributing Project Gutenberg™ electronic works to protect the PROJECT GUTENBERG™ concept and trademark. Project Gutenberg is a registered trademark, and may not be used if you charge for an eBook, except by following the terms of the trademark license, including paying royalties for use of the Project Gutenberg trademark. If you do not charge anything for copies of this eBook, complying with the trademark license is very easy. You may use this eBook for nearly any purpose such as creation of derivative works, reports, performances and research. Project Gutenberg eBooks may be modified and printed and given away—you may do practically ANYTHING in the United States with eBooks not protected by U.S. copyright law. Redistribution is subject to the trademark license, especially commercial redistribution.

START: FULL LICENSE

THE FULL PROJECT GUTENBERG LICENSE

PLEASE READ THIS BEFORE YOU DISTRIBUTE OR USE THIS WORK

To protect the Project Gutenberg™ mission of promoting the free distribution of electronic works, by using or distributing this work (or any other work associated in any way with the phrase “Project Gutenberg”), you agree to comply with all the terms of the Full Project Gutenberg™ License available with this file or online at www.gutenberg.org/license.

Section 1. General Terms of Use and Redistributing Project Gutenberg™ electronic works

1.A. By reading or using any part of this Project Gutenberg™ electronic work, you indicate that you have read, understand, agree to and accept all the terms of this license and intellectual property (trademark/copyright) agreement. If you do not agree to abide by all the terms of this agreement, you must cease using and return or destroy all copies of Project Gutenberg™ electronic works in your possession. If you paid a fee for obtaining a copy of or access to a Project Gutenberg™ electronic work and you do not agree to be bound by the terms of this agreement, you may obtain a refund from the person or entity to whom you paid the fee as set forth in paragraph 1.E.8.

1.B. “Project Gutenberg” is a registered trademark. It may only be used on or associated in any way with an electronic work by people who agree to be bound by the terms of this agreement. There are a few things that you can do with most Project Gutenberg™ electronic works even without complying with the full terms of this agreement. See paragraph 1.C below. There are a lot of things you can do with Project Gutenberg™ electronic works if you follow the terms of this agreement and help preserve free future access to Project Gutenberg™ electronic works. See paragraph 1.E below.

1.C. The Project Gutenberg Literary Archive Foundation (“the Foundation” or PGLAF), owns a compilation copyright in the collection of Project Gutenberg™ electronic works. Nearly all the individual works in the collection are in the public domain in the United States. If an individual work is unprotected by copyright law in the United States and you are located in the United States, we do not claim a right to prevent you from copying, distributing, performing, displaying or creating derivative works based on the work as long as all references to Project Gutenberg are removed. Of course, we hope that you will support the Project Gutenberg™ mission of promoting

free access to electronic works by freely sharing Project Gutenberg™ works in compliance with the terms of this agreement for keeping the Project Gutenberg™ name associated with the work. You can easily comply with the terms of this agreement by keeping this work in the same format with its attached full Project Gutenberg™ License when you share it without charge with others.

1.D. The copyright laws of the place where you are located also govern what you can do with this work. Copyright laws in most countries are in a constant state of change. If you are outside the United States, check the laws of your country in addition to the terms of this agreement before downloading, copying, displaying, performing, distributing or creating derivative works based on this work or any other Project Gutenberg™ work. The Foundation makes no representations concerning the copyright status of any work in any country other than the United States.

1.E. Unless you have removed all references to Project Gutenberg:

1.E.1. The following sentence, with active links to, or other immediate access to, the full Project Gutenberg™ License must appear prominently whenever any copy of a Project Gutenberg™ work (any work on which the phrase “Project Gutenberg” appears, or with which the phrase “Project Gutenberg” is associated) is accessed, displayed, performed, viewed, copied or distributed:

This eBook is for the use of anyone anywhere in the United States and most other parts of the world at no cost and with almost no restrictions whatsoever. You may copy it, give it away or re-use it under the terms of the Project Gutenberg License included with this eBook or online at www.gutenberg.org. If you are not located in the United States, you will have to check the laws of the country where you are located before using this eBook.

1.E.2. If an individual Project Gutenberg™ electronic work is derived from texts not protected by U.S. copyright law (does not contain a notice indicating that it is posted with permission of the copyright holder), the work can be copied and distributed to anyone in the United States without paying any fees or charges. If you are redistributing or providing access to a work with the phrase “Project Gutenberg” associated with or appearing on the work, you must comply either with the requirements of paragraphs 1.E.1 through 1.E.7 or obtain permission for the use of the work and the Project Gutenberg™ trademark as set forth in paragraphs 1.E.8 or 1.E.9.

1.E.3. If an individual Project Gutenberg™ electronic work is posted with the permission of the copyright holder, your use and distribution must comply with both paragraphs 1.E.1 through 1.E.7 and any additional terms imposed by the copyright holder. Additional terms will be linked to the Project Gutenberg™ License for all works posted with the permission of the copyright holder found at the beginning of this work.

1.E.4. Do not unlink or detach or remove the full Project Gutenberg™ License terms from this work, or any files containing a part of this work or any other work associated with Project Gutenberg™.

1.E.5. Do not copy, display, perform, distribute or redistribute this electronic work, or any part of this electronic work, without prominently displaying the sentence set forth in paragraph 1.E.1 with active links or immediate access to the full terms of the Project Gutenberg™ License.

1.E.6. You may convert to and distribute this work in any binary, compressed, marked up, nonproprietary or proprietary form, including any word processing or hypertext form. However, if you provide access to or distribute copies of a Project Gutenberg™ work in a format other than “Plain Vanilla ASCII” or other format used in the official version posted on the official Project Gutenberg™ website (www.gutenberg.org), you must, at no additional cost, fee or expense to the user, provide a copy, a means of exporting a copy, or a means of obtaining a copy upon request, of the work in its original “Plain Vanilla ASCII” or other form. Any alternate format must include the full Project Gutenberg™ License as specified in paragraph 1.E.1.

1.E.7. Do not charge a fee for access to, viewing, displaying, performing, copying or distributing any Project Gutenberg™ works unless you comply with paragraph 1.E.8 or 1.E.9.

1.E.8. You may charge a reasonable fee for copies of or providing access to or distributing Project Gutenberg™ electronic works provided that:

- You pay a royalty fee of 20% of the gross profits you derive from the use of Project Gutenberg™ works calculated using the method you already use to calculate your applicable taxes. The fee is owed to the owner of the Project Gutenberg™ trademark, but he has agreed to donate royalties under this paragraph to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation. Royalty payments must be paid within 60 days following each date on which you prepare (or are legally required to prepare) your periodic tax returns. Royalty payments should be clearly marked as such and sent to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation at the address specified in Section 4, “Information about donations to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation.”
- You provide a full refund of any money paid by a user who notifies you in writing (or by e-mail) within 30 days of receipt that s/he does not agree to the terms of the full Project Gutenberg™ License. You must require such a user to return or destroy all copies of the works possessed in a physical medium and discontinue all use of and all access to other copies of Project Gutenberg™ works.
- You provide, in accordance with paragraph 1.F.3, a full refund of any money paid for a work or

a replacement copy, if a defect in the electronic work is discovered and reported to you within 90 days of receipt of the work.

- You comply with all other terms of this agreement for free distribution of Project Gutenberg™ works.

1.E.9. If you wish to charge a fee or distribute a Project Gutenberg™ electronic work or group of works on different terms than are set forth in this agreement, you must obtain permission in writing from the Project Gutenberg Literary Archive Foundation, the manager of the Project Gutenberg™ trademark. Contact the Foundation as set forth in Section 3 below.

1.F.

1.F.1. Project Gutenberg volunteers and employees expend considerable effort to identify, do copyright research on, transcribe and proofread works not protected by U.S. copyright law in creating the Project Gutenberg™ collection. Despite these efforts, Project Gutenberg™ electronic works, and the medium on which they may be stored, may contain “Defects,” such as, but not limited to, incomplete, inaccurate or corrupt data, transcription errors, a copyright or other intellectual property infringement, a defective or damaged disk or other medium, a computer virus, or computer codes that damage or cannot be read by your equipment.

1.F.2. LIMITED WARRANTY, DISCLAIMER OF DAMAGES - Except for the “Right of Replacement or Refund” described in paragraph 1.F.3, the Project Gutenberg Literary Archive Foundation, the owner of the Project Gutenberg™ trademark, and any other party distributing a Project Gutenberg™ electronic work under this agreement, disclaim all liability to you for damages, costs and expenses, including legal fees. YOU AGREE THAT YOU HAVE NO REMEDIES FOR NEGLIGENCE, STRICT LIABILITY, BREACH OF WARRANTY OR BREACH OF CONTRACT EXCEPT THOSE PROVIDED IN PARAGRAPH 1.F.3. YOU AGREE THAT THE FOUNDATION, THE TRADEMARK OWNER, AND ANY DISTRIBUTOR UNDER THIS AGREEMENT WILL NOT BE LIABLE TO YOU FOR ACTUAL, DIRECT, INDIRECT, CONSEQUENTIAL, PUNITIVE OR INCIDENTAL DAMAGES EVEN IF YOU GIVE NOTICE OF THE POSSIBILITY OF SUCH DAMAGE.

1.F.3. LIMITED RIGHT OF REPLACEMENT OR REFUND - If you discover a defect in this electronic work within 90 days of receiving it, you can receive a refund of the money (if any) you paid for it by sending a written explanation to the person you received the work from. If you received the work on a physical medium, you must return the medium with your written explanation. The person or entity that provided you with the defective work may elect to provide a replacement copy in lieu of a refund. If you received the work electronically, the person or entity providing it to you may choose to give you a second opportunity to receive the work electronically in lieu of a refund. If the second copy is also defective, you may demand a refund in writing without further opportunities to fix the problem.

1.F.4. Except for the limited right of replacement or refund set forth in paragraph 1.F.3, this work is provided to you ‘AS-IS’, WITH NO OTHER WARRANTIES OF ANY KIND, EXPRESS OR IMPLIED, INCLUDING BUT NOT LIMITED TO WARRANTIES OF MERCHANTABILITY OR FITNESS FOR ANY PURPOSE.

1.F.5. Some states do not allow disclaimers of certain implied warranties or the exclusion or limitation of certain types of damages. If any disclaimer or limitation set forth in this agreement violates the law of the state applicable to this agreement, the agreement shall be interpreted to make the maximum disclaimer or limitation permitted by the applicable state law. The invalidity or unenforceability of any provision of this agreement shall not void the remaining provisions.

1.F.6. INDEMNITY - You agree to indemnify and hold the Foundation, the trademark owner, any agent or employee of the Foundation, anyone providing copies of Project Gutenberg™ electronic works in accordance with this agreement, and any volunteers associated with the production, promotion and distribution of Project Gutenberg™ electronic works, harmless from all liability, costs and expenses, including legal fees, that arise directly or indirectly from any of the following which you do or cause to occur: (a) distribution of this or any Project Gutenberg™ work, (b) alteration, modification, or additions or deletions to any Project Gutenberg™ work, and (c) any Defect you cause.

Section 2. Information about the Mission of Project Gutenberg™

Project Gutenberg™ is synonymous with the free distribution of electronic works in formats readable by the widest variety of computers including obsolete, old, middle-aged and new computers. It exists because of the efforts of hundreds of volunteers and donations from people in all walks of life.

Volunteers and financial support to provide volunteers with the assistance they need are critical to reaching Project Gutenberg™’s goals and ensuring that the Project Gutenberg™ collection will remain freely available for generations to come. In 2001, the Project Gutenberg Literary Archive Foundation was created to provide a secure and permanent future for Project Gutenberg™ and future generations. To learn more about the Project Gutenberg Literary Archive Foundation and how your efforts and donations can help, see Sections 3 and 4 and the Foundation information page at www.gutenberg.org.

Section 3. Information about the Project Gutenberg Literary Archive Foundation

The Project Gutenberg Literary Archive Foundation is a non-profit 501(c)(3) educational corporation organized under the laws of the state of Mississippi and granted tax exempt status by the Internal Revenue Service. The Foundation's EIN or federal tax identification number is 64-6221541. Contributions to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation are tax deductible to the full extent permitted by U.S. federal laws and your state's laws.

The Foundation's business office is located at 809 North 1500 West, Salt Lake City, UT 84116, (801) 596-1887. Email contact links and up to date contact information can be found at the Foundation's website and official page at www.gutenberg.org/contact

Section 4. Information about Donations to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation

Project Gutenberg™ depends upon and cannot survive without widespread public support and donations to carry out its mission of increasing the number of public domain and licensed works that can be freely distributed in machine-readable form accessible by the widest array of equipment including outdated equipment. Many small donations (\$1 to \$5,000) are particularly important to maintaining tax exempt status with the IRS.

The Foundation is committed to complying with the laws regulating charities and charitable donations in all 50 states of the United States. Compliance requirements are not uniform and it takes a considerable effort, much paperwork and many fees to meet and keep up with these requirements. We do not solicit donations in locations where we have not received written confirmation of compliance. To SEND DONATIONS or determine the status of compliance for any particular state visit www.gutenberg.org/donate.

While we cannot and do not solicit contributions from states where we have not met the solicitation requirements, we know of no prohibition against accepting unsolicited donations from donors in such states who approach us with offers to donate.

International donations are gratefully accepted, but we cannot make any statements concerning tax treatment of donations received from outside the United States. U.S. laws alone swamp our small staff.

Please check the Project Gutenberg web pages for current donation methods and addresses. Donations are accepted in a number of other ways including checks, online payments and credit card donations. To donate, please visit: www.gutenberg.org/donate

Section 5. General Information About Project Gutenberg™ electronic works

Professor Michael S. Hart was the originator of the Project Gutenberg™ concept of a library of electronic works that could be freely shared with anyone. For forty years, he produced and distributed Project Gutenberg™ eBooks with only a loose network of volunteer support.

Project Gutenberg™ eBooks are often created from several printed editions, all of which are confirmed as not protected by copyright in the U.S. unless a copyright notice is included. Thus, we do not necessarily keep eBooks in compliance with any particular paper edition.

Most people start at our website which has the main PG search facility: www.gutenberg.org.

This website includes information about Project Gutenberg™, including how to make donations to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation, how to help produce our new eBooks, and how to subscribe to our email newsletter to hear about new eBooks.